CANDOR ILLÆSUS,

ILLVSTRISSIMÆ WASOWICIORUM DOMUS,

Lucidioribus, ſole, candidi THOMæ argumentis

PROBATVS.

ILLVSTRI, & MAGNIFICO DOMINO,

D. MAXIMILIANO DE SMOGORZOW WĄSOWICZ,

POCILLATORI INOVRATISLAVIENSI,

PER

P. MARIANUM à Sancto VENANTIO,

Nomine totius Studij Philoſophici, in Collegio LUBOMIRSCIANO *Reſſovienſi Schol: Piarum*

DEMONSTRATUS.

Sub Præſidio Rndi Patris MARCELLINI, à Sancto PHILIPPO NERIO, Philoſophiæ Profeſſoris.

ANNO,

quo Candor LVCIS æternæ, in niveum intactæ Virginis deſcendit ſinum,

M. DCCI.

CRACOVIÆ,

In Offic: NICOLAI ALEXANDRI SCHEDEL, S.R.M. Ord: Typ.

IN STEMMA,
ILLVSTRISSIMÆ DOMVS, WASOWICIORVM.



ILLÆSVS Lechiæ quod profluat **ALITE CANDOR;**
Addidit hunc, Aquilæ, conſociatus **OLOR.**
Prædixit quondam qui propria funera cantu,
Hoſtibus hîc mortis Nuntius exſtat **OLOR.**
Ex hoc, omen habe fauſtum **DOMVS INCLYTA** fato,
Quòd Tibi cum vita fama perennis erit.

STANISLAVS WĄSOWICZ, Pocillatorides Inowratislavienſis.

PRÆFATIO
AD ILLVSTREM, & MAGNIFICVM DOMINVM.



Andorem paginæ, atrà pullatus sepià aßumit character; ut faciliùs sub tanto tituli splendore, inter Gentilitios Domûs Tuæ Decores admittatur. ILLUSTRIS, & MAGNIFICE DOMINE. *Cælo, non impar, quis esse negabit Domûs Vestræ augustal? ad quod nihil coinquinatũ admittitur. Proinde & ipsæ literarũ notæ, quas nativa deformaverat fuligo, verebantur priùs Tua accedere limina, quàm in diaphano mũdarẽtur Eurippo; ne à digniori procul abigerẽtur cõspectu: nisi Dianæ, vel Pulcheriæ forẽt. Quis enim nõ pallesceret culpà, ad* OLORINUM *intaminatæ* ALITIS *Vestræ nitorẽ? cui quãvis ipsa probitas venerãdũ hoc induxit seniũ; nihilq̃, habeat, quo erubescat; in depicto tamẽ, sanguineò murice cãpo hospitatur: vel hoc ipso edocẽs mũdũ; quod* CYGNORVM sub galeis Mavortia canuit ætas. *Non auderẽ & ego, humili, per terrã serpere assuetus passu, ad erectã in pedes, propiùs accedere* VOLUCREM; *nisi ipsa me, benevolà favẽtis gratiæ in altũ erigeret pennà; ut vel sic elevatiori, sciẽtiarũ insertus polo, meliùs speculativo mẽtis intuitu, Domestici* OLORIS *Vestri merita possim cõteplari. In cuius notitiã, vix per simplicẽ apprehensionẽ devenio; illico nativa invisæ Illius pulchritudinis albedo,*

disgregat visū; aureus in pedibus fulgor, acutā mētis hebetat aciē: vel ipso cādore suo nimiùm audēte admonēs encomiastē; quòd non sit alienæ indigia laudis, divitijs animosa suis. *Procertò citiùs avida perspicacis mūdi curiositas in cælo maculas, in Sole atomos, quàm in lactea* Oloris *Vestri Via, etiā minimū adnotabit nævū. Si enim tātus, pedes accēdit splendor, quis in frōte decor? quæ venustas erit in animo? nisi ideo avaris Euclionū displiceat mētibus; quòd pretiosū auri metallū, ungue non armaverit adūco: voluit enim bonus æstimator, cadorē virtutis, & nobilitatis valorē aurô præferre; ideò totus cādidus nonnisi plātas aureo irradiavit fulgore*: pretiô nā dignior omni est nobilitas, hæc nō emitur, nec vēditur aurô. *Nemo miretur tā grādē magnarū alarū* Domus *Vestræ* Volucrem, *inermē à natura productā; quia nec lædi, nec lædere, nisi hostē novit. Cautelam hic* Polonus *accepit Orbis, quàm majori* nomina ipso timenda sono *debeat æstimare: cùm nec aurô fusa hoc decus mereātur monilia; quādoquidē* Oloris *calcātur pedibus. Hinc* fortuna ad imas Tibi sternitur submissa plantas; famaq; nō pigrā professa servā; Te, Tuasq; grādiloquo canet ore dotes, *quæ, & nunc dū Tibi* Illustris, & Magnifice Domine, *cādidos, logævæ vitæ sub tātæ felicitatis cādidato precātur soles: ego quoq; hoc ipsū cordicitùs vovēs, testor quòd sim*

ILLVSTRI, & MAGNIFICO NOMINI TVO

Obligatissimus

MARIANVS à S. VENANTIO Schol: Piarum.

CANDOR
ILLVSTRIS & MAGNIFICI DOMINI
Antenatorum Imaginibus exornatus, inter ingeniosas Conclusionum Logicarum umbras magis elucescens.

I.

LOgica est Scientia Speculativa; necessaria ad alias scientias in statu perfecto acquirendas: habens pro Objecto Ens rationis.

II.

DAntur à parte rei naturæ Vniversales: uniuersalitas autem fit per comparationem simplicem intellectûs posibilis.

III.

NAtura Angelica, est Species Vniversalis, impropriè & negativè.

IV.

DEvs. O. M. non ponitur in prædicamento substantiæ: Christus verò directè in illo ponitur, ratione naturæ humanæ.

V.

SVbstantia consistit, in subsistere, per se; seu in esse, per se.

VI.

QVantitas consistit, in exstensione partium, in ordine ad se.

VII.

RElatio distingvitur realiter à suo fundamento.

VIII.

SIve Mutua, sive non Mutua Relatio, terminatur ad aliquid respectivum.

IX.

ASsensus præmissarū necessitat ad assensum Cōclusionis.

X.

SCientia, & Opinio, non possunt esse simul, de eodem Obiecto in eodem intellectu.





Olorum gloriam difficile assequi.

STOicam professi gravitatem irritò conatu evisceratì Rhetorum bombyces contexta laudum pandimus retia ante oculos PENNATORVM; quorum gloria, ita immensos encomiasticæ molis prætervolat clivos; ut nec in cursum effusus Apollo, Daphnidem hanc assequi queat; nec ipse Mercurius celeriori alarum instructus remigiô, extremam eius deliberare fimbriam sufficiat. ILLVSTRIS & MAGNIFICE DOMINE. Et certè, illanè Volucris, blando, Camænarum demulcebitur lenocinio? Illamne, eluxato, inter Musarum choragia, calcaneo, claudicans comprehēdet Thyrteus? illane, uniformi scientiarum capietur circulo? quam glomerata, hostium phalanx non iuvolvit; ferrea Martis non irretijt lorica, ardentibus, Bellona non adussit phalaricis; coniurata malevolorum non fatigavit violentia. Hæc áb irruentibus hostium telis servavit Lechiam; languentem inter armorum æstus pennarum ventilabrô, refrigeravit Rempublicam; hæc insidiantis Polonæ fortunæ Thimothei disrupit casses, validoq; roboris impetu elata Odrysiæ decussit cornua Lunæ. Odit hæc, cancrinos pedes, testudineos aspernatur gressus; volatiles sectatorum exambit animas. Nescit magnanimitas OLORIS, per decliuia reptare; non iugera decurrit, sed juga prætervolat; gigantimachiam aggreditur, ut cœlum expugnet. Frustra erudita scholarum Numina captandæ huic Aliti encomiorum vestrorum struitis casses; cui cruentæ potiùs Bellonæ arridēt cassides: frustra Atticas noctes, dulcem conciliando somnum extenditis, quam semper serenus, rectefactorum excitat meridies. Stupet fidemq; sibi ipsa denegat natura adeo Illustres Maiorum Tuorum ILLVSTRIS & MAGNIFICE DOMINE suscipiens animas, & nisi inane scrupulosæ mentis dubium non degener à Prædecessoribus superstitum soboles hæreditariâ virtutis excuteret successione; thaumaturgam prodigiosæ Illorum dexteritatis audaciam, circa idolatriæ cultum, immôrtalium Deorum celebraret holocaustis. Nonne defacto admirandus hic naturæ censetur partus? inter molles WASOVICIANVM OLOREM enutritum plumas, adeò animosè ferreum vivere seculum? ut avidâ, exæstuantis in arma pectoris excitatus orexi, nativum in Dania deserens solum, veriùs armorum lucem in BOLESLAO KRIVOVSTO, quàm in Sarmatico polo; solem cum PETRO DVNIN, Henrici Daniæ Regis Filio, sit contemplatus. Nec spem generosæ indolis,

Origo Olorum per Petrū Dunin

belli-

bellicus eventus vanis elusit aristis; ubi se parem fulminũ Ministræ, Aquilæ: æmul⁹ ostendit OLOR; nec ab ipso procul degenerauit sole, cum quo, omnia communia se habere, præter maculas probauit.

in Sarmatiã ex Dania allata Anno 1248

Exinde Alexandri, in PETRO metiendus animus, exiguum unius mundi contemnentis circulum; in quo cruentos, bellò efformaret saltus; quando alterum cum Columbo inquisivit Orbem; ut eo liberiùs hostium posset exordiri afsultus. Ita sanè *ut vana semper palma, domesticis quæcunq́ tantùm crescit in areis*; *sic nulla laurus pulchrior, alienis, quàm nata campis.* Habet iam scientiarum antesignana Logica, quod discat adhuc in proæmialibus PETRI; in quo nullum Sophysma, nullam fallaciam legit Patria. Filius Columbæ appellãdus foret, nisi GENTILITIO OLORI candorẽ suum debuisset.

Bellator magnus.

Optimus Philosophus, Logicam Docentem ab Vtente, nec numero nec specie distinxit; factis probando, quod verbis docuit. Bonus miles exemplum Ducis; imperium esse, probauit militis. Extra Lydiam, Polonia, PETRVM non vilem expertura petram, sed aurô pretiosiorem lapidem, qui suis fortunæ splendoribus universam irradiauit Sarmatiam, obstinatissimus ad quosvis hostium ictus adamas, sub malleo, & incude fortior.

Munificus in Patriam

Qui quamvis petra iuxta suum diceretur ethymon, non tamen adeo occaluerat, quin in largos, munificentiæ non diffueret torrentes; illud Menandri ad praxim reducens. *Principes esse publicos fontes, ex quibus nemini non esset hauriendi potestas.* Hoc ipso PETRVM se demonstravit, quia non mutos pisces, sed loquacia beneficiorum corda, & affectus subditorum inhamavit. Verùm quod pretiosum fuit in PETRO, mox odijs, & invidiæ telis obijcitur. Pyratici ad instar genij invida mortalium natura, quæ levibus cymbis parcit, onerarijs infensissima. Scilicet livore, obcæcata Christina, VLADISLAI REGIS Consors, oculum utrumq́; PETRO ademit; ut sic sublatâ luce, in suis securior tenebris, cæcum PETRO testaretur amorem. Vel quia delicatam illius noluit ampliùs offendere pupillam; ideo obscurum illi cæcitatis, superinduxit velamen. Ego Religiosam potius fuisse iustitiam PETRI afsererem; cui absq; velo, turpe & inglorium incedere. Lingvam quoq; præcidit PETRO; hâc, illum indigere declarans; quem vita innocens excusat.

Oculi eruti sunt illi per Christinam Vladislai Vxorem & lingva præcisa.

Parum curare CHRISTINA lingvam PETRI visa est; dum illam publica scelerum suorum divulgabat fama. *Quippe non trabeæ tegunt non mitra culpam, purpurâ murice non tincta fulgenti.* Perorat tamen ipsa pro PETRO liberalitas, loqvuntur saxa, quæ disertiora Memnonis Statua, largô munificẽtiæ suæ effecit radiô, in septuaginta septem é secto lapide extructis Basilicis, & duobus sumptuosissimis Collegijs.

Munificus in Ecclesias & Collegia.

Nimirum Senatoria convenit cum sole purpura. Non amat Sol esse parcus,

sed

ſed univerſum luſtrat & ſpeculatur Orbem, vultumq; ſemper non minùs munificum vibrat, quàm ſerenum. Pulcherrima in PETRO honorum dilapidatio, quæ in præſidiaria, militantis Eccleſiæ convertitur mænia. Verus Apoſtoli ſectator, cui illud vel maximé diſplicuit aurum, quod ſplendorem ab altaribus non acciperet; vel miſerorum manibus, oculiſq; non conferretur. Tunc primò benefacere deſijt PETRVS, cùm & vivere; Tantâ meritorum oppreſſus copiâ, fatis ceſsit, in Baſilica D. Vincentij Vratiſlaviæ, victor dierum, coronam ſuæ munificentiæ à cœlo petiturus. *Hic noſtra, nam quod diſtribuit manus, Divina rurſus reſtituet; manet haud ſegne cælis metallum, quod miſerum, hìc inopem ditat.*

Mortuus, Vratiſlaviæ ſepilitur.

Præeuntem ſolem, non minor illô, ſequitur Heſperus DVNIN WAS. Et quamvis hic ordinarius naturæ curſus ſit, ut poſtlugubrem ſolis occaſum, atra nox minora accendat ſidera; poſt fertilem arborum prolem abortui pullulent ſtolones, & à ſolari radio non ſola lux, ſed & levis deſcendat atomus: támen hîc naturæ pervertitur ordo; dum invictus Hector, non diſparem antecedaneo, ſeculo quamvis ſerum produxit Achillem; qui tantus erat vel ante cunas Hercules; ut creando illi in longos annos protractæ noctes non ſufficerent. Anonymum, hiſtorica faſtis inaravit penna; quia vocaliſsimo famæ claſsico; heroiciſq; operibus buccinandus committebatur. *Neſcit enim ſecreti ſilentium; pro quo, virtus perorat.* Militaris illius vitæ, triumphales computando horas, ſæcula integra deficerent; imò ipſe bicollis Parnaſſus non ſufficeret toties coronãdo vertici; quoties palmas meruerat. Comprobavit documento, non vulgaris famæ, hoc privilegium eſſe; ſi effuſo cruore obſignetur, vitæq; noſtræ ſigillum mors, meliùs expreſſum, in rubentibus hoſtili ſanie noſcatur ceris. Eleva nunc illud ſepulchralibus umbris incineratum caput, Lyrice Pöeſis Princeps! hunc iterum fatidico ore repetens entheum: *quod fortes creentur fortibus, & bonis; nec imbellem feroces progenerent Aquilæ columbam:* ubi VENCESLAVS de Smogorzow WASOWICZ ſago magìs portando, quàm Tyrio aſſuetus murici; inſipidum Regij nominis, licet aureum exiſtimans pomum, bellicis illud decoxit æſtibus. Pro nihilo æſtimabat aurum, ſolo Regij nominis rutilans titulo, niſi illi, luce armorum illuſtrato, fortitudinis pondus addidiſſet. Procul eiuſmodi uniones, è coronata ablegandos iudicavit fronte; quos gemmeus ſudor inter ferream fulminantis Grádivi non peperiſſet tempeſtatem. Non arriſit illi Sidonia purpurati Nominis roſa; quam horrida telorum non exaſperaſſet acies. Et quia priùs tenuem ab Eoo littore Phæbus præmittit radium, quàm in planam, meridiei aſſurgat augem; ideò & VENCESLAVS bellicis, totus qvantus immerſus fluctibus,

Origo Waſoviciorum à Duniniis.

Primus Was ſtrenuus miles.

Venceſlaus Waſowicz primus.

paula-

paulatim militaribus Officijs, deinde Præfecturâ Radomiensi, mox etiam Lomzensi Illustris emersit; donec tandem in altiorem honoris gradum, & virtutis remigio, & fortunato secundæ sortis proveheretur eventu. Ab æstu bellorum, ad faces Hymenæi, serenam, inoccíduæ lucem gloriæ transferens, fulmina Mavortis in lumina, connubialis tedæ permutavit. Hic optimo iactu sors cecidit VENCESLAO, quando unicam sui imaginem in quatuor filijs, VENCESLAO, HYACINTHO, FRANCISCO, & ZBYGNEO, superstitem reliquit. Dives meritorum Pater satis amplum patrimonium testamento legavit natis; quia pares, numero filiorum Orbis partes, heroicis ausibus implendas designavit. Obmutesceret proculdubio Troia, si gloriosum ævi nostri, Hectorem VENCESLAVM WASOWICZ prævidisset; imò, si subterraneis inclusum caput levâsset criptis, profundiùs, cogente pudore, in abdita se se recondisset penetralia; ne tot Achilles, quot WASOVICIANÆ Domûs successores intueretur; *qui, omnes ense pares, atq; omnes vincere digni.*

Filij Venceslai 4.

Accesit ad regiam VENCESLAI coronam, Augustum, Infulæ NICOLAI WASOWICZ decus; qui non erratico passu, per sinuosos Martis anfractus, animosam VENCESLAI secutus audaciam: scivit perplexas militaris vitæ solvere ambages, & in vitioso hostium circulo optimè novit philosophari; donec tandem Scythicô ferrô cæsus vitæ conclusit argumentum. Satis dextrè expressam in NICOLAI nomine comprobavit liberalitatem, quando integritati Patriæ, hostium telis expositæ, providendo aureas vitæ horas, & nobilem spiritum cum sangvine impendit. Mox iterum Hespero occidenti exortus Phosphorus, gratias in IOANNE WASOWICZ relaturus Patriæ, quòd tam bellaces in suo sinu alueric animas. Nondum tamen exulta calame! triumphale in prima IOANNIS Syllaba occinens, Io! longa tibi adhuc conficienda restat via, quam sine difficultatum non perficies obice: licet enim Præcursorem agat IOANNES, quia tamen asperiori Martis vestitus cilicio, delicatos non patitur laudum suarum investigatores. Non mollem lenocinantis volupiæ Agnum, sed robustiorem in pectore IOANNIS Arietem toties experta hostilitas; quoties sub eius labaro victricia signa militans Patria seqvebatur. Iouem non Ioannem in suo etymo visus deferret dum fulgurantem manibus vibrabat chalybem, superba Othomanicæ Lunæ colla demetendo, in hoc solùm dissimilis Iovi, quòd illi tardum, cōfracta tibia numen, huic verô par Aquilis Gentilitia ALES, Patriæ succensa amore, tela ministrabat. Hactenus, inter ferrô squammatas testudines gravi passu calame morantem sequebaris IOANNEM, nunc vero Gentilitij

Secundus Nicolaus Wasovicz.

Ioânes Wasowicz à Venceslao, & Nicolao descendit animosus Heros.

Legatus & Generalis

Regni Comitia 15.

OLORIS ſubnixus pennis, altius evoles, ad Generalia Regni Comitia Internuntium comitaturus IOANNEM. Hinc conijce quāto exornari debeas apparatu; dum inter Sereniſsimos ſolij Soles, & paludátas Senatoriâ purpurâ curules enituerit IOANNES: quibus, quàm gratioſus fuerit, aureus fulgor, appenſæ, collo demonſtrat torquis; quo Eum regalis, SIGISMVNDI AVGVSTI dotavit munificentia. Quippe aurei contemptor velleris, aurô captivatur, nunquam glorioſior; qvàm talibus vinculis mancipatus. Gemma fuit, qvam quia unius cifræ annulus Regalis capere nequibat; ex tot annulis, collect⁹ faciliùs circul⁹ eam cōprehendit. Magnis devotum Numinibus pectus, non uno debuit ſubharrari annulo, in quo perennis gloriæ Domus Veſtra decurreret hæmiſpherium. In lucem mundi ſolem oſtendit IOANNEM innata dexteritas, hoc ſolùm diſparem effectu, quod ille arctata ſilentio reſolverit ora, hic Gallicani Herculis more, aureis pretioſi ſensûs nexibus, animos catenare conſveverit; eorum præſertim, quos ſecundæ ſortis aſſenſus purpurato murice Reges effecit & Numina. Verùm invida fatorum rabies, OLORIS noſtri diutiùs ferre candorem impatiens, funebrem illi iniecit atrorem. *Sic: velut accipiter laniat turdos, molleſq; columbas, sæva fati rabies infeſtat Olores.* (Neother:) Ergo extinctâ vitali luce IOANNIS tanta meritorum occidet ſerenitas? ergo Vox illa clamantis per Orbem facta vacuas abibit in curas? minimé. Debuit hoc, de noſtro, publica fama affirmare IOANNE; quód de Cæſare iudicium protulit Poëta. *Non ſibi ſed toti natum ſe credidit orbi.* Extinctus turbine fati, ſub ſole vivere aſſvetus publicus Civis; non tamen ita frigidi fuerunt buſtuarij illius cineres, quaſi ex ſe vividas gaudiorum non producerent ſcintillas. Trinam enim Filiorum coronam reliquit; quæ, è paterno ſangvine in corpus, magnæ Domûs ſuæ defluxit, vivamq; Paternæ virtutis idæam Filijs venerandam, oſtendit. Primus, & natu maior anteambulo IOANNES palmare genitoris ſui iter, triumphali ſignavit mucrone. Videre erat Druſum ſub Alpibus, bella gerentem ad Mohyloviam IOANNEM, quem Pyrrhum in campo, Cynæam in curia adoravit Regnum: *Non vile porro animi ornamentum eſt, Attica muſæ temperies, & Spartha domi cōmunibus æqvè militat obſequijs, & mœnia duplici vallo conſilij Martiſq; tegit.* (Piſon) Obſtrepunt adhuc confractæ hoſtilitatis tibiæ, & tumultuanti murmure, reportata ex Mihailo per Orbem univerſum decantant trophæa: palleſcunt in cruenta Gradivi acie congeſti Turcarum acervi, iſtoq; pallore teſtantur, poſt fata etiam in ſe Martis huius metum non eſſe mortuum. Et quamvis ſvaves in nomine IOANNIS, gratias, comes exaſperaverit Bellona; talem tamen venuſtæ virtutis ſpeciem, in eo SERENISSIMVS SIGISMVN-

Sigismundus Augustus Rex Poloniæ in memoriale meritorū torquem auream illi obtulit.

3. Filij Ioannis 3tij. Primus Ioannes fuit militia clarus, & eloquiô.

Primus Aulicus fuit Sigiſmundi tertij.

SMVNDI III. adnotavit oculus; ut in Regni polo, Supremi regiminis cum Iove divisum tenens imperium, Ganymedem viso IOANNE despexerit. Tanti enim Principis iudiciô dignus inventus est; qvem præpes in altum libraret Aqvila, Serenissimarumq́; sedium suarum faceret stipatorem. Infremuit livor ad tantam IOANNIS sublimitatem, Gigantæam contra supremum thronum resuscitaturus pugnam, non dissimilis iocanti Deæ, quæ frequenter *extollit pressos, eadem detrudit ad imum sæpe illos, quos ante rotæ commiserat aitæ.* (*Sidon.*) Hæc enim summè infelix felicitas ascendisse supra summos: fatorum & invidiæ telis maximè obnoxius, qui maximè sublimis. *Mille tonitrua penes ministras fulminis Alites sentire tunc debes; aperto, si Dominis famularis corde, vulgumq́ transis.* (*Bened.*) Sensit & hæc adversitatum iacula WASOVICIANÆ Domûs ALES, nec aliter efferatam hostium effugisset rabiem, nisi eam contra hos assultus, ANDREAS Frater IOANNIS, Crucis suæ
munivisset armaturâ. Verè virilis, hoc trophæo ANDREÆ ani-
Secūdus Filius Ioannis Andreas bellator Magnanimus.
mus, victorias ab eodem nonnisi ligno inchoando. Certè non poterat meliori fulcro integritatem suam sustentare Patria, qvàm ab ANDREA Crucis labaro stabilita, nec ipse gloriosiùs Apostolicæ piscaturæ compensare valuit jacturam; qvàm dum in diffuso hostilis sangvinis rubicone, pretiosa nunqvam interituræ laudis extraxit monilia. Verior Christi, qvàm Martis miles; ideo præter sui Ducis insigne, alia abjecit arma; hoc unico cōtentus præsidio, qvod, ut primùm adversis ostendit cohórtibus, terrore perterriti hostes, terga Cruci dederunt, qvam proni potiùs adorare debuerant, vel hoc ipso, barbaros se esse in Crucem demonstrando. Interim post bellicas rigidi Martis, laureas triumphantem desiderabat Patria videre ANDREAM, & licèt magis nitrato pulvere conspersus, quàm Sydonio vestitus incedere ostro eligeret; tamen
Electionē Vladislai 4 subscripsit.
conscius meritorum Illius Honor, augustos texebat ei murices; quæsivitq́; digna lacertis vellera, qvando disponens, ad purpuras, Legatum ad Comitia Regni Generalia, & VLADISLAI IV. fecit Electorem. Ibi primò patuit, quòd Marti manus, lingvam dicaverit Mercurio; hostes ferrô, Civium animos innatâ captivaret benevolentiâ: quæ prudentiæ Tullianiq́; oris talenta, Augusto Legationis muneri, idoneum præstitère. Habuit hoc in passu fidum, generosumq; Achatem, Fratrem, licèt minorem natu, parem tamen Martialibus trophæis CHRISTOPHORVM: Fortissimū Alcidam
Tertius Filius Christophorus.
hunc Vestrum, Heroes invictissimi, quis non dixerit? qvia unius humero, illa cæli moles incubuit; cuius oneri sufferendo, vix mille sufficerent lacerti. Ostendere voluit Divina providentia, qvantâ roboris magnitudine polleret Christophorus; cùm illum nullis fra-

ctum laboribus, nullis bellorum enervatum oneribus, baiulum sui fecit Atlantem. Quidquid enim egit, stupendo prodigio non absimile fuit; ad cuius panegyrim concinnandã, nulla litera inermis, nullus apex non catafractus in paginam vult descendere. Exanimata enectorum hostium cadavera vulneribus hiant; cùm ora, in verba solvere neqveant, generosas tanti Hectoris ad describendum dictatura ausus; sanguinem è cespite, lachrymas de flebili pupilla exprimunt; ne defectu sepiæ, tantam dexteritatem inscribendam annalibus, prætermittere Historicorum pennæ cogantur. Castrensibus quoq; alis; in sublime provectus Famæ Capitolium, ADAMVS WĄSOWICZ Avus Tuus, ILLVSTRIS & MAGNIFICE DOMINE, succedanea Domûs Vestræ Propago, nullis cessura triumphis. Hic, quocunq; victoriosam suam intulit plantam; ubiq; ferax laurearum Paradisus effloruit Patriæ, Feliciùs cælo delapsum, quàm cœno Plasmatoris dexterâ productum asseruissem; nec unqvam terram colere credidissem Adamum; nisi in DOMO VESTRA, tam copiosa surrexisset *Seges Clypeata Virorum* (*Virg.*) Avidiùs nullum appetijt fructum, quàm aureum libertatis Polonæ pomum, illæsum conservare; quod robustiori pectore, toto defendit seculo. Fortissimus Virorum, à fæmina tamen elusus; qvia amore Patriæ, loricato stratagemate irretitus. Deformis fortè visus est plurimis ADAMVS; quòd durô, incultæ militiæ vestiretur sagô: ille verò *seu caput abdiderat cristatâ cassidæ, pennis, in galea formosus erat; seu sumpserat ære fulgentem clypeum sumpsisse decebat.* (*Virgil.*) Credite Poloni, qvibus in ferrum ruere mens prona, animæq; capaces! nunqvam pulchriùs ad solemnia Martis posse descendisse ADAMVM; quàm chalybeo, exornatum apparatu. Rudis Bellona, delicatos odit Ascanios; qvorum, gypsatus erga Patriam candor alienos eludit oculos. Furnios, non Albanos; Cneios Carbones, non Cretenses amant prælia. Faciliùs enim in arata, sulcis fronte; qvàm in pumicata Adonidis facie, scabrosa pullula, laurus. Quodsi timida Dama à nomenclaturæ voce ADAM, nemini terrorem incutiat; ad huius tamen, vel solam, Magni Nominis mentionem, usq; nunc horret *Indus, Arabs, Maurus, Scytha, deniq; quisquis Europam, Asiamq; colit, Lybicosq; calores, imò totus pavore concutitur Orbis.* (*Palirg.*) Qvapropter & STANISLAVS WĄSOVICZ non alibi, quàm ad aras Martis; vulneribus, notatâ fronte, procumbere solemne duxit. Stupendus Annibal, adhuc in prætexta vix fasciatus, & iam se militari obligavit Sacramento; vix vivere cæpit, illicò stare (utpote STANISLAVS) pro gloria Patriæ decrevit. Excidium, barbaræ Carthagini minitando, Hesperum iuremeritô STANISLAVM appellasset Polonia; qui Orientem,

Avus Illustris & Magnifici Dñi. Pocillatoris

Frater Avi Illustris & Magnifici Domini Pocillatoris.

sperum iuremeritô STANISLAVM appellâsset Polonia; qui Orientem, semper ad occasum fatalem deducebat. Inter splendorem virtutum cum Aqvilis Sarmatiæ, non cum noctuis enutritus OLOR; Vester dum irretortâ palperbrâ Orientem contemplabatur. Fatis se tandem devovit; ut, cum Codro in fastis viveret; cui, vitam barbaricæ peperêre mortes. Successit STANISLAO, ex eodem, non sangvinis tantùm, verùm & magnanimitatis manans profluviô, PRECLAVS WĄSOWICZ. Novus Macedo, in stadio gloriæ, alios ad palmam nominis magnitudine præcurrere voluit. Non segni passu suam secutus AVEM; pro qvo tam celeri palmaris viæ cursu, non solûm omnes dedit famæ pennas; ut triumphale, PRECLAO scriberet elogium; verùm etiam, ita illum, GENTILITIA hæc VOLVCRIS, gloriæ subnixa, afflatu elevavit; ut qvamvis Calpen Apenninumq; vix puto tamen, è tam eminentiori supercilio, ad eius delibanda pertingerem vestigia. Proinde malo pronâ submissione, gloriosum PRECLAI venerari Nomen; qvàm inaccessam Illius scrutari magnitudinem. Eleva tandem fessas vires calame! qvi bellicam decurrens orbitam, stridorem iam conceperas. Adest nunc fausto tuo omine, longioris viæ nuntius, SAMVEL WĄSOWICZ, qui deficienti Cleantis lucernæ, oleum affundet, & te ad citatiorem gressum, Athleticamq; perficiendam inunget. Vide, ne jejunus in celebrandis eius appareas laudibus; cuius, tam pingve descendit in te beneficium. Vixisses tunc degenerans impij seculi progenies, vidisses certè SAMVELEM veriùs pro AVIS, quàm illum qvondam pro Arca sub dio, & papilionibus excubantem; Propheta fuit, ideò prævidit qvantum illi gloriæ exinde accessurum erat emolumentum. Zelò accensus Divini cultûs, sangvinem sitiebat hostium. Sterilitatem Matris, Indigetis sui largâ in pauperes compensabat munificentiâ. Et quamvis tam protensa probè gestorum SAMVELIS seriès fuit; ut vix in immenso cælorum possit describi folio; ego tamen in nucleo comprehensam, vastam eximiæ virtutis illius celsitudinem, eò solùm venerabor; dum illum dixero domî Curium, militiæ fuisse Camillum; ibi oleas, hîc uberiùs metentem Laureas.

2dus. Frater Illustr: & Magnifici Avi Preclaus.

Parens Illustris & Magnifici Dñi. Pocillatoris.

Redit iterum non longâ revolutione Sangvinis, aliorum præcursor, SAMVELIS sectator IOANNES WĄSOWICZ, qui qvondam vitam cum plausu inchoaverat; eandem inter Martiales choreas, lætus porrigendo, letho manus terminavit. Sterilem forte existimabat, sub immani Valachorum potestate extitisse terram; proinde illam, proprio irrigavit cruore; ut sic irrigata, sibi, in coronam; Patriæ, in triumphales effloruisset verbenas. Magnus humanitatis cultor, ita ad barbaros descendit; ut cum aqvam, inter

Frater Parens Illustris & Magnif: Dñi. in bello occisus.

Marti-

Martios ignes langventi, denegarent; ille confundendo inurbanitatem, sangvinem ipsis propinavit. Quid mirum ab ingruenti tempestate IOANNE extinctum? Lucerna fuit, virtutum, & meritorum splendore irradians Patriam: quanto in hanc amore flagraverit, de sepulchrali cinere, in quem abijt colligendum. Diuturno fessus prælio, è Bæotico lacu, effusis tenebris circumventus, placidiorem somnum habiturus, ad Czeczory occubuit. Videlicet, nulla belligeris amicabilior quies heroibus; quàm inter arma expirâsse; vel ideò, quòd lassis, umbram fatalis occasûs inferant. Sed evicit has fati tenebras STANISLAI WASOWICZ meritorũ claritas: *exortus est istis ex ossibus ultor, Threycijs fatis, qui solvet fata cadentis, & Marcellus erit (Ovid.)* A fama sortitus nomen, cui, *nil vitæ peragi, sine laude placebat. (Propert)* Caput non ad Infulas tantùm, aut Coronas, sed etiam in vulnera consecravit; per quæ in ornamentum Patriæ, plus gloriæ, quàm Sangvinis, efflueret. Illos quippe optimè impendimus dies, qui, purpureâ Gradivi arenâ, fluentem vitæ nostræ exhibent clepsydram. Tandem pares, virtute filij seqvuntur Parentem; qui, immortali passu famæ decurrant stadia. Primus Atalantæ huius comprehensor DERSLAVS WASOWICZ, ad quam meliùs captivandam, quòd aureô destitueretur pomô, ad floridam, CAROLI Principis Poloniæ, descendit Hesperiam. Apparet hinc optimè illum Scholasticæ operam impendisse eruditioni; ubi didicit literariô Phæbô animosam palpebram satiari non posse; nisì sole, vel SERENISSIMO REGVM solio. Sic lucem publicam amant, qui nihil pro privato agere statuunt. Adolevisset sine dubio hic teneræ ætatis surculus, sub radiato Sarmatici Planetæ obtentu, in culmum gloriæ; nisì in sterilem Libitinæ falcem incidisset. Ruinam hanc Fratris restauravit CHRISTOPHORVS WASOWICZ; & in tumulum collapsum, ingens gloriæ pondus in pedes erexit. Cuius vestigijs fortiter insistens TROIANVS WASOWICZ, qui integritatem indefessâ manu, impavido vultu, districto defendens mucrone, velut ad portã Annibal, aut alter pro Troia stabat Apollo. Quia verò ingentis animi moles, nescit nisì æmulas suæ proceritatis spargere umbras; ideoq; è tam generoso Patre leone, non meticulosæ damæ, aut galeati prodiêre lepores, at magnæ mentis Heroës: ADALBERTVS WASOWICZ, qui, cum Honorio statim ad prælia reptabat per scuta puer; cum Achille in hostium collimando pectus manibus rotabat hastas. Habuit tunc Patria, quo, suam defendisset incolumitatem; quando cum ALBERTO tot recipit sarissas; quibus validos hostilitatis reprimendo impetus, *Fregit hyperboreas remis audacibus undas.* Adstringitur ADALBERTI hastis nodoso Tutelaris

Stanislaus Wasowicz Frater Patruelis Parentis Illust: et Magnifici Dñi. Pocillatoris

Derslaus Wasowicz Filius Stani: ad Aulã Illust: Poloniarũ Caroli sterilites decessit.

...dus. Filius Christoph: Wasowicz Parens Illust: & M. Dñi Dapiferi Sochaczoviensis.

...gus, Troianus Wasowicz, strenuus Hector.

Filij Ioannis Wasowicz, Adalbertus & Franciscus Wasowicz Magni Heroës.

telaris

telaris sui vinculo FRANCISCVS WĄSOWICZ aptum cicatricibus ferendis pro Numine nomen. Toto corpore oculatior Argus, prævidit, quòd citiùs cæcafortuna in transfossi ferrô pectoris incidat foveas. Non degeneravit à Seraphicis Indigetis sui ardoribus, sed pari fomite ad Martios flagrabat ignes: a quo virtutis suæ derivat lumen MALACHIAS WĄSOWICZ positus super candelabrum Ecclesiæ: nec ideò obscurus; qvamuis sub modio Religiosæ delitescat modestiæ. Quinimò sub illustri, Claræ Vallis Abbate, in Phæbum Sanctiorem evasit. Attamen non ita superiori cœlorum hemicydo radium suæ infert claritatis; quin illum infra Antipodas, imâ deprimat animi submissione. Doctor futurus erat, ideo non vano omine Cisterciensem quæsivit togam, vel ipsum toga. Divinus Plato, mellitos Bernardi possedit favos: nec unqvã meliùs Gentilitias suas, DEO potuit dicare ceras; quàm per melleas sui Patriarchæ manus. Competentiorem OLORI neqvibat dare colorem; quàm dum niveum, Sacri Cisterciensium Ordinis habitum eidem contulit. Divino fortè afflata Spiritu Abbatialis, Patriarchæ sui præscivit Infula, quantum ei valoris, gemmei sudores eruditæ frontis essent allaturi: quocirca MALACHIAM sibi Religiosi voti obstrinxit vinculô. Minimè tamen hæ angustiæ, Augustam ingenij Illius coarctarunt libertatem; cuius pernicitate, ipsam Gentilitiã VOLVCREM videtur prætervolâsse. Non citiùs in cineres mulciber paleas; quàm hic, proposita, difficilis argumenti resolvit ôbstacula. Stupet toties literarius Orbis, quoties Te videt serenô eruditæ mentis radiô, inter Rèligiosas umbras, Atticas noctes dispellentem. Non solius, Te, Aviti CYGNI, sed & Lechicæ Aqvilæ animosam Sobolem, ingeniorum credunt decora; quòd ita ad Cleantis lucernam, assuefeceris pupillam; ut illæsô supercilio Aquinati, cum, usq; ad ima penetraveris solem. Quòd si Religiosâ, Te coopertum non videret cyclade æmulatrix Doctorum gloria, redivivum esse iuraret Miltiadem; cui somnum insomne eripit studium. Fertilis longô sæculô magis reviruit Bernardi ascesis quam, primùm cultrices Musæ Tuæ manus, eandem incolere cæperunt. Doluit cœlum, tam eruditũ emeritæ frontis verticem hucusq; non coronatum; ideo eidem, Doctorales laureas, in LAVRENTIO WĄSOWICZ submisit. Laurum ille in nomine, meritis autem & virtute, immortalia gestabat trophæa.

Filius Frãcisci Adm. Reverend. Pater Malachias Lector Theologiæ Dignissimus in Sacro Ordine Patrũ Cisterciẽsium.

Laurentius Wąsowicz 2dus Filius Francisci.

Pallescere metu cogitur harta, purpurato Nominis Tui subiecta honori, ILLVSTRIS, & MAGNIFICE DOMINE CAROLE WĄSOWICZ Succamerarie Radomiensis. Ille tantùm calamus, præfidentiori aliqvomodo ausu TVA posset fastis inarare merita, qui nisi in Erythreo VESTRI Sangvinis tingeretur: aliàs quamvis pre-

Illustris & Magnificus D. Carolus Wąsowicz Succamer: & Iudex multoties terræ Radomiensis.

tiosa metalli despumaret fluenta, aut aureum Iovis demitteret imbrem; vix Tvis vestigijs attingendis par esset. Obmutescunt Pieridum chori; quia Te, ipsa loqvuntur vocalis famæ clasica. Detumescunt literarum apices, in Tvam assurecturi Panegyrim; quòd svavi Sermonis Tvi illiciò, monstra domas, vel ardentiori dictionis fulmine saxea perfringis corda. Neminem adhuc vidit Orbis

Disertissimus Orator, & Statista Magnus,

Tuo contrarium asserto; nam ad Tvæ vocis sonitum, meliùs quàm Thæbæ ad Orphei lyram, omnium assurgit assensus. *Attonitum jurare in verba Senatum, vidimus, & doctis Subsellia claudere verbis, seu pacem, seu bella jubes, seu congrua rebus decernis, superisq; caves, seu partibus æqvus arbiter, obscuris seu iudex litibus unus accedis, primus censes, quod cernimus omnes.* Tacet disertissima quantumvis causa; ubi Tu iustissimus Lycurgus, acerrimus in vitia Solon, ferrô plus, quàm verbô decernis; bellum sceleri, triumphum innocentiæ illaturus. Lætabunda in suo nomine Radomia toties subsultat; quoties Olorem Tuvm, videt pennis iustitiæ subscribentem dogmata. Primò tunc expupillata Themis rectè aspicere incipit, qvando men-

Iudex prudentissimus

tis Tvæ lumen, in Radomiensi demonstras Areopago. Nihil unquam inconsulti in Actis Castrensibus, Cõmissorialibus, & mille titulorum iustissimis Causis, Tribunalitia Astræa advertit; sed omnia ad maturitatem iudicata, ad fructum Executionis deducta approbavit; qvando Te solem, ac normam legum, & Iudicum, in bilance Iustitiæ stare contigit. Habet exinde non leve gloriæ pondus libra Themidis; dum ad illas examinanda devenit manus, quæ librò, & voluminibus legum evolvendis, publicæ utilitatis intuitu occupantur. Inquiris fortè, quàm magna mirantium, tam magna invidentium popularitas, cur toties CAROLVM votis, & vocibus suffragantibus, in sui agnominis consiliò Radomia Iudicem elegerit? vel ideo noscas, quòd Sacra Themis, æqviori librâ illius ponderat ingenium; ut iustô Eum WASOWICIANÆ Domvi definiat pretiô. Quærit ipsa Patria, quô non personatum illius in se posit compensare candorem? nec facilè Eum è Succamerariatûs emittet conclavi; qui tot, ac tantis gratiæ impendijs, Scholas Piás, & omnium largitorem bonorum DEVM ita obligavit; ut solùm Sphærico æternitatis nummô se illi exolvere posit. Priùs illam, praxi didicit doctrinam, quam Emmanuelis Thesauri excogitavit industria. *Iudicibus tam leve aurum videatur, ut recti lineam non deflectat.* Nunqvam visus Gentilitivs CAROLI

Venceslaus Wasowicz Tribunus Checinẽsis Frater illustris &c.

OLOR, herile generosæ mentis inclinare pectus huic de astro, quod semel infra calcaneum eius posuit generositas. Adest iterum operose anime nova tibi enitendi in altum materies, VENCESLAVS WASOWICZ, hic, nominis gloriâ, & clarèfactorum meritis

Orbem

Orbem vicit, ac implevit universum. Post Duces, Reges, & Principes, seqvuntur GASPAR, MICHAEL, & DERSLAVS WASOWICY. Non levi gloriæ portione GASPAR refecit Patriam; quando aureum virtutis suæ pretium, Martialibus excoxit flammis; ex quo in coronam Regnì decus refluxit. Nec MICHAELIS Nomen prælijs assvetum, absq; mucrone secuturæ depingendum posteritati; quod, vel in prima sui Nominis litera, Martem, aut Musas spirare videtur. Idem illi fuit inter Acdemi lucos, Sapientiam; quod, & inter Gradivi deserta, venari hostes. MICHAEL hic ductor Angelicus, etsi extensionis quantitativæ non sit capax; ostendit tamen quantus ac qualis in regno sit. Noluit alià etiam cum gladio pingi; nisì se Martialem Spiritum demonstrâsset. Negent Theologi irascibilitatis pasionem cadere in Angelos; in hoc tamen MIHAELE clementia non apparet; qvando ancipiti gladiô, non utrâq; solùm partem; verùm in omnes hostium cuneos, manus armaverat. Verùm & DERSLAVS WASOWICZ Succamerarius, Limitaris Terræ Radomiensis, nec metas, nec tempora ponit immensæ WASOVICIORVM gloriæ. Limitanda Terræ bona si ei contingunt, iustè eum Patria tali dignata honore; in quo omnia tam bellè literaria, Martiaq; arena expolivit; ut præclaro meritorum fulgore & multorum usui, & perennaturæ luceat gloriæ. Equidem in nullius Panegyrim uberiùs poterant Oratorij exundare fontes, quàm dum plenum gratiæ, & magnæ in Regno spei, IOSEPHI WASOWICZ Nomen, invexit incrementum. Quis vastus Encomiaste, Vestram eminentioris indolem celsitudinis modico verborum celebraret apparatu? ad eum, jam IOSEPHVS in prima pueritiæ accrescens aurora opinionis pervenit gradum; ad quem vix maturiori ætate tardiores pertingerent Saturni: Sic magni animi, non expectant senilem decrepitæ ætatis rugam, nec sulcis aratam faciem; quæ, fæcundam laurearum adferant Patriæ messem; sed cùm florem explicant, simul fructum adferunt: solem imitati, effusum omnem, in ortu splendorem in meridie adultioris juventæ non differunt radium. *Provolat alite passu juventus, nec puerilibus assueta iam bullis; virili, sed meritas agitare palmas edocta nisu, promit idoneas in arma vires.* (*Bened.*)

Magnì o. Succam:

Secundus Gaspar Wasowicz Pincerna Zeczyciensis.

Tertius Michael Wasowicz Venarator Sendomirien.

4tus. Derslaus Wasowicz Tribunus Checinensis & Succamer: Limitaris Terræ Radominensis.

Filius Illustris & Magnifici Domini Succamer: Iosephus Wasowicz Capitan: Lipnicensis.

Secundus Filius Stanislaus Wasowicz.

Consvetus Naturæ ordo, quòd Iupiter non generet nisì Hercules. Taliter genitus & STANISLAVS WASOWICZ, secundus Filius magni plenus imagine Patris. Addidisti his omnibus immensum gloriæ decus, ILLVSRIS & MAGNIFICE DOMINE, MARTINE WASOWICZ gladiô tuô, quo toties hostes cædendo, conterminos cœlo, TIBI etiam excidisti Obeliscos. Si ubi? hîc vel maximè vobis Tulliani Fontes profusiori exuberandû alveô; dum non

Illustris & Magnificus D. Martinus Wasowicz, Dapifer Sochacoviensis plurimas expeditio-

nes bellicas pro Patria sustinuit.

parcâ manu ſpargentem gratias MARTINVM, bellicæ dexteritatis Compendium, Tauricanæ Terrorē Gentis, ALEXANDRVM Sarmaticum, Annibalem pro ſua Carthagine, Achillem pro ſua Græcia, Curtium pro incolumitate Civium, pro DEO, Patria, Republica, & libertate Polona Bellatorem vultis revereri. Iam tunc iuſtas annorum emenſus videbatur Olympiades; dum uix greſſus formare diſcens Olympia famæ rectè decurrere novit: vix faſcijs evolutus exſtitit; illico faſcibus referendis aptus cenſebatur. Admirabatur qvondam fabuloſa Vetuſtas Honorij, & Annibalis indolem, quòd vix infantiles egresſi cunas, iam doloſos hoſtibus paraverint cuneos; Hic longè magis noſtrô ſtupendus Seculô, qui, ſcuta puer, galeaſq; truces, gladioſq; paratos, indefeſsô ſemper aſſvetus fuerat portare lacertô. Vidit non ſemel impius Maſſageticæ Gentis Iulianus, etiam extra Sabariæ limites alterum MARTINVM, per mediam caſtrorū caliginem, fulgurantē deferre gladium; cuius lumine, adeò perterrita hoſtilitas ut vix caput ſuū invenerit; quæ Coronā Polonæ libertatis quærebat. Expertus Balticus Leo, & aurati cuſtos velleris Moſchoviticus Draco, fortiorem in MARTINO Herculem, novit Vkrainius Aper, hoc ipſo in ſe liberalitatem MARTINI; quòd eum ad ſatietatem plumbeis pauerit glandibus. Et iam deſineret Gradivum calamus in lorica ſequi, utiliùs ſibi eligens commodum, Te, ILLUSTRIS & MAGNIFICE DOMINE, radiantem in trabæa adorare Auguſtum; nisì quadam naturali ſympathia magìs aſtris, & caſtris; qvàm ditioribus Plutonis aris devotus videreris. Nulla Tibi effluxit, quæ non eſſet palmaris hora; nullum præterijt ſine linea momentum, quod aut Sanguine hoſtium non deſcriberes, aut novô liberalitatis non redimeres pretiô. Teſtantur Scholarum noſtrarum molimina, munificis Fundationis Tuæ impenſis Radomiæ erecta; loqvuntur ad profuſum auri tinnitum, velut ad amphioniæ ſonitum cytharæ, extructi muri, beneficentiæ Tuæ exuberantiam. Elata Collegij noſtri culmina, in venerationem Tui, ſuum deflectunt faſtigium; quaſi gratias hæc actura moles; quòd per Te a fundamentis ſuſcitata, digna fuerit Nomini Tuo deferendo. Deſudant frigida marmora, & cum verba non poſsint in Panegyrim dare; in lacrymas præ gaudio difluunt; quòd ſuum mærorem dulciſsimo cantu Gentilitius WASOWICIORVM OLOR exhilaret. Sed cantabunt & Muſæ, buccinabit ſuâ lyrâ Apollo, effluentem liberalitatis Tuæ in Scholas Pias Heliconem. Vivet grata Tui memoria in cordibus, quam ſuis Gentilitius OLOR aliis à fato vindicans, in noſtro excitabit corde. Non refrigeſcet in pijs pectoribus amor ſub Tuæ gratiæ pallio; quo Pauperes Matris DEI protexiſti. Narrabunt

Schola Pi. as Radomiæ proprijs impenſis fundat.

erudi-

erudito volumine Maronis ora, teſtabuntur Myronis æra, incidet Phydiaca manus in ſaxeis Pyramidibus non moriturum liberalitatis Tuæ monumentum; cùm & marmoribus Nomen Tuum dignè mandari poſsit; quòd Tibi priùs moribus mereri licuit.

Erigere buccinatrix clarefactorum fama! quæ licèt mobilitate uigeas, non tenuem tamen feſtucam, aut ventorum flatibus aclinatam Arundinem accedis IOANNEM WĄSOWICZ. Gaditanum Herculis exiſtimes Coloſsum; ad quem toties alliſa hoſtium capita, aſcenſorium, heriocæ virtutis auſibus collem erexerunt. Profectò cecidiſset Patria, ſi tu MAGNIFICE DOMINE hoſtem cædere deſijſſes; qui proclivem trudentibus fatis in præceps orbem, & labentis pondera ſeculi, deprælianti umq; regnorum funera, conſiliô, humeriſq; detinuiſti. Extra Apocalypticam viſionem, non tam ſeniò confecti, quàm Marte fracti barbarorum manes, IOANNIS Agnum adorarunt, palmas & laurus in coronam proſternentes. Satìs gloriæ auxiſti Patriæ, ſatìs & DEO dediſti honoris, in BOGVSLAO WĄSOWICZ Filio Tvo; ubi primò Orbem docuiſti: OLOREM Veſtrum, non Apollini tantùm, aut cruento ſacratum Marti; ſed etiam veriori Numini, ad laudes Divinas decantandas. Æquiſsimam feciſti diviſionem BOGVSLAE, ut, cùm alij ex eadẽ Sangvinis fluentes propontide bellaci Gradivo pyriũ adolent fumum; Tu, Dominũ exercituũ orationis incenſo, & Sacratiori veneraristhymiamate; ipſe factus, bonus odor Chriſti.

Magnificus D. Ioannes Waſowicz, Fr. Illuſ: & M. Pocillat. Heros invictus, Vir Cõſilio & prudentiâ Magnus.

Filius Magnifici Dñi. Ioan: Perilluſtr: & Admod. Revet: D. Boguſlaus Waſow: [illegible]

Et ut aſtrum, aſpecto ſplendorem ducit ab aſtro; ita DOMINICVS WĄSOWICZ Frater Tuus, ab accenſis ad Aras Numini maioris, facem, inexhauſtæ ardore gloriæ inflammatam præſefert maceris, facem, inexhauſtæ ardore gloriæ inflammatam præſefert manibus: ſanctior Prometheus, alios ad bellum accenſurus; aut propriæ virtutis lumine, ex abdito abiectas mentes ad publicam nominis lucem deducturus. Vigilantiã illius quis arguet? Sidus ipſum DOMINCI evidenter oſtendit; quàm vigil ſemper vivat in armis. Allatret quiſpiam rabido morſu Zoilus, adeò tardam Illius in agendo vivacitatem; ut uſq; Indigetis ſui extimuletur Syrio; tantùm id oberit agili ad laurus colligendas indoli, quantùm Orion adverſus qvadrigæ Solis, aut æſtifer Canis, fixo in fronte nocebit Planetæ. Certent alij, ut voluerint, pro finibus Patriæ; tu pro Aſtris, ex Raſtro LIPSCIANÆ DOMûs, TUAM in diſpendium exponis ſalutem: ideò, quòd ab illo, in militari campo auream edoceris colligere meſſem. Veretur ultra progredi incondita eloqventia mea, nec audet dulcem AMBROSIANI Nominis titulô ſuſcitare memoriam, in alto Mariani cætûs ſepultam conticinio. Non præſumerem & ego mortali labio ſacram Tui Nominis ventilare auram; niſi è Religioſo deſerto, ſuaviter in via Domini accinentis Tibi nativi OLORIS

edus. Filius eiuſdẽ Magn. D. Dominico Waſowicz, Loricatæ Cohortũ Illuſt: Lipſki Palatini Caliſſ: Magnus Bellator.

3tius. Filius Ambroſius, in Religione Scholarũ Piarum.

OLORIS repercussum audirem sonitum. Et certè nunqvam salubriùs GENTILITIAM TUAM potuisti dirigere VOLVCREM, sicut Sacro MARIÆ Virginis eam aggregando consortio; ut Agnum immaculatum quocunq; iverit, felici seqvatur tramite. Vivant alij longô seculorum decursu, Patricias tamen DOMûS suæ gloriosiùs non-impendent Ceras, quàm Tu dum illas à teneris, statim annis Sacro casti amoris accendisti igne. Iuremeritò candidum OLORIS Tui holocaustum, nemini nisi sine la beconceptæ Virgini offerendum decrevisti.

Perillu: & Rdu. Dominus Frãciscus Wasowicz. Canonicus Posnaniẽsis & Cuiauien.

Hactenus literaria penna inter armorum lucem incedens, bellicis adusta fulgoribus, sub umbram Galeri PERILLVSTRIS, & REVEREN: DOMINI FRANCISCI WASOWICZ Canonici Posnaniẽsis, & Cuiaviensis declina. Absq; cunctatione ipse Mercurius Galerum, & talaria ad pedes tanti Viri abiecisset, qui altiùs sublimitate ingenij evolare poterat; quàm ille eruditioribus pennis elevari, nisi eas sprevisset FRANCISCVS ab omni levitate alienus. Fulmina Pericli extingvebat, quando Seraphico accensus spiritu, animos audientium in amorem DEI cæpit inflammare. Præsuleæ Insulæ inserenda Gemma futurus; à fonte statim Baptismali, nomine & stigmate, FRANCISCI, tanqvam pretiosus DOMûS Vestræ thesaurus signabatur. Aris decernitur, cauterio signatus FRANCISCI; ut qui hostilem recusavit, Divinum pro salute Patriæ funderet sangvinem. Quàm ingens fuit FRANCISCI animus, ex manibus collige; quas integer mundus satiare non poterat: quia pertusas Eucharisticus sine termino implevit orbis. Maximus victor, quòd captivum DEVM tenere sciverit. Non sterilem in eo fuisse legimus animam, ideo toties lachrymarum maduit imbribus, quoties nubem Eucharisticam contemplabatur. Ad Coronam æternitatis candidatus, album calculum vitâ excedens è manibus accepit Sacerdotis. Scivit equidem, nemini gratis offerri cœlum, empturus illud, numinum Eucharisticũ sibi dari petijt. Cœlum quod Seraphinus per rimas corporis anhelabat, aquis pœnitentiæ mundatus OLOR involavit. Verùm avulsô uno, non defuit alter, verus cultor FRANCISCI ANTONIVS WASOWICZ subtilis in-Nomine ANTONII Doctor; Religiosam Benedictinæ Familiæ professus disciplinam, acumen ingenij è spinis Benedicti accepturus. Lilium fuit, innocentiâ morum reflorescens; ideo inter spinas constitit Benedicti. Panegyri aliâ non indiget; cùm hanc, & nativus decantet CYGNVS, & Indigetis lilium, apertô floris labiô, fucatæ nescium simulationis, in eo deprædicet candorem. Vnicam in eo maculam scriptorius adnotavit calamus, atram BENEDICTI tunicam: nec ideo perstringendus censetur Prudens Philosophus,

Concionator fuit Zelosus.

Lacrymarũ dono sæpe in Sacrĩs præditus.

Sacramentis Munitus pie obijt.

Antonius Wasowicz Benedictinus Secz[e]hoviẽsis, Mag. Vir eruditionis Romæ obijt.

Sophi-

Sophiſtam Mundum eludens, per Oppoſitionis formam, candorem ſuum defendebat. In turbido piſcari neſcius, Viſtulam Polonum exoſus, in limpido Tyberis Romani fluento, termas, & balnea quæſivit OLOR. Delicatum ANTONIVS præferens florem, timuit gelidam climatis noſtri pruinam; calidiorem ſolem, in Italiæ qvæſivit ſolo. Optimus Philoſophiæ Lector, in Rupe PETRI nominis ſui immortalitatem, nullis eradendam ſeculis deſcripſit. Vniverſalia perbellè cognoſcens, ſolo affectu ſangvini ſuo unitus, Orbîs Vniverſi coluit Caput. Quirinales conſcendit colles, quid-mirum, Aves in ſublimi nidificare monte? Navim PETRI ſecutus, ideo extra portum Patriæ ſepultus. Non ingloriè tamen GENTILITIAS Ceras, & vitam obſignavit quia annulô Piſcatoris.

Daniel Waſowicz Cataphractus heros ſub ſigno Illuſtr: Potocki Palatini Cracou: militarũ fatũ ceſſit.

Audax nimiùm ſiſte greſſum anime, non belluarum ſed bellorum, non ferarum ſed efferatarum Gentium Domitorem, inter leones reverearis DANIELEM WASOWICZ. Quodſi ab obtuſiſsimo etiam ingenii partu, unguibus leonum armatus extorqveat acumina; leoninam tamen in eo rabiem non expaveſcas. Mitis enim eſt naturâ OLOR, leves agitans in bella lacertos; nullas videbis in eo, molles per digitos, humeroſq́; plumas; tantùm ferrô bracteatos thoraces; erectos, in hoſtes ungues. In quonam Prædicamento bellicæ conſiſtit virtutis, ex ILLUSTRISSIMA POTOCCIORVM, menſuram accipe, CRUCE. Alij ab octavo numero, Hic, niſi a numerante decades ſigno, ſuam voluit metiri perfectionem, & ſtipendia mereri fortunæ; quæ ſub hoc labaro militant. Hîc ſibi ſpatiandum, beatum eſſe duxit? hîc Martialis vitæ decurrendum propoſuit ſtadium; certus, nullam glorioſiorem habere metam, qvàm ibi vitæ ſuæ curſum terminare; ubi ipſum Numen operari, & ſpirare ceſſavit. Meruit ſub hoc vexillo perennis gloriæ tributum; meruit pro elogio, Oratoria inciſa, Philoſophicaſq́; Præciſiones; cui mors falce, Mars gladiô, vitæ ſtamen præcidit. Non dubito, quòd ſui Leones, poſt peractos belli labores DANIELEM ad æternæ quietis evexerint Capitolium; ſiquidem & ipſi Imperatores Romani, ad Tarpeia, Leonibus ferebantur culmina. Pridem ipſa cælorum Numina; hoc ei dederunt privilegium; quod: *prælia grandiloquo ſcribant Mavortia verſu, pugnaceſq́ ſolent tollere ad aſtra viros.*

Sebaſtianus Waſowicz, Creatus Legionis Vngaricarũ Illuſtriſ: Lubomirſkii Avi Illuſtriſſimi Theſaurarij

Nova iterum meta, Tuæ, pharetrate Apollo proponitur, pharetra, in Martiali arena conſiſtens SEBASTIANVS WASOWICZ, in qvem vectigales collimant calami, & Philoſophiæ Noſtræ conſpirant ſtudia. Quæ enim tam inermis ingenij argutia, eſſet; cui in tam nobilem ſcopum, tela non ſuppeterent? At contrahe hæc iacula manus, non eget calcaribus, & ſtimulis huius Theopompi

magna-

Regni toto vitæ tempore fuit ibi deniq; ad Aulā mortuus.

magnanimitas, ad peragenda Heroum facinora. Vis ſcire, qvàm cupidum animum æviternæ gloriæ hic CYGNUS habuerit? leges exinde; quòd poſt comprobatam Vatum veritatem, aſſerentium lumen ſolis ſub ALEXANDRO per ſagittas obſcuratum; ipſe, deſſo telorum ſui Indigetis agmine, veriùs Turcico Sideri ad plenitudinem ſuam vniverſum ambienti Orbem, multoties diminuerit ſplendorem. Tandem aſsiduâ bellorum mole fractus, diuturnô Præfecturæ Legionum Hungaricarum preſſus Officiô; ad Aulam, & Aquas ILLUSTRISSIMI LVBOMIRSCIORVM Szrzeniavæ, ſitibundus Tantalus expiravit.

Caſimirus Waſowicz Filij M. D. Sebaſtiani,

Stravit iter ad Magnæ gloriæ culmina, acceptâ, ex Martyrio Indigetis ſui roſâ regnatrice florum; cui ſuccedit in lilijs veluti coronatus Mars CASIMIRVS WASOWICZ, qui acſi Iris, Arcum in nomine ſuo Sagittis SEBASTIANI intendit; cui non alius color, niſi effuſus hoſtium cruor, æternantis gloriæ impreſsit ſymbola.

Centurio militiæ Illuſtr: Lubomirij S.R.I. Principis.

Complacuit hic color SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPI LVBOMIRIO; poſtqvam Paterno Sangvini, & dexteritati, non diſſimilem in arte bellica adnotavit muricem. nec carior fuerat Amilcari ſuo, Annibal; qvàm CASIMIRVS LVBOMIRIO, hâc magnâ animi commendatus prærogativâ. Tales enim GENTILITIVM SZRZENIAVÆ Flumen in ſuo ſinu fovet piſces, quibus pro ſqvamma, lorica; pro pinnis, criſtata caſsis. Tamdiu his Aquis generoſus innatabat Cocles; donec poſt emenſa Alcidæ trophæa, ad hoc Gaditanum, terminale vitæ poneret, Non plus vltra.

Paulus Waſowicz Heros invictus. Filios habuit, 4.

Recenſeat, qui voluerit, generoſos auſus PAVLI WASOWICZ; ego vix plura referre audeo, cùm gladius reticentiam, & abſciſſionem lingvæ indicat: præter id, quòd nunquam fruſtra per auras ventilatum mucronem, in manibus illius obſervaverit Gradivus; quem capulo tenus barbarorum immerſum pectoribus, vix quiſpiam hucuſq; advertere poteſt. Nec defuerunt ſtrenuo Themiſtocli, æmuli Miltiades; robuſto Herculi, validi Atlantes; lectiſsimi Filij ANDREAS, FRANCISCVS, CHRISTOPHORVS, & IOANNES WASOWICII, qui fatorum edomiti potentiâ, Heſperiam metiuntur iacentes. Non ſuſcito lethali ſomno ſopitos ILLVSTRISSIMOS ADAMI, STANISLAI, CHRISTOPHORI WASOWICIORVM manes; quos licèt obliviosâ ſepelivit mors amyſtide, glorioſa tamen illos deprædicare non deſiſtunt opera. *Nil funus obſtat, nobilibus nocent nil buſta factis; è medijs caput attollit virtus ſepulchris, inq; ſuo vigilat veterno, hæc diva ſemper.* (Bened.)

Filij Illuſtris Magnifici Dni. Samuelis Waſowicz, ex Laſocka ſuſcepti mortui.

M D Ioannes Waſowicz, Fratres Caſt-

Ecce iterum vox IOANNIS WASOWICZ ad Petricovienſem refringitur petram; è qua, non ſcintillas tantùm elicuit IOANNES, ſed flammeos globos in Sueticum iaciebat Leonem; iubamq;

enſe

ense totondit. Rectè incidit furibunda bestia in lapidem. Stabit procul dubio OLORIS Fama, quia penes Commendam IOANNIS, in Caucaso Petricoviensi fundata; quam & Neosandecensis Castri nomen vallavit; quod fastuoso superimpositum colli, collum erigit supra vicinum flumen Dunaiec, quasi profundiorem ex alto reverentiam, facturum se IOANNI demonstrans; aut in aquis memoriã IOANNIS quærere volens: Nam & hic, si non Iordanis, ILLVSTRISSIMI tamen SZRZENIAVÆ, dedit sua nomina ponto.

miriad: lā Illustris: Lubomirski Tribunus militiæ factus Petricoviam, & Sadeciam à Sueco defēdit.

Non absimili, heroicæ virtutis gradientes itinere, LVDOVICVS, & ADALBERTVS WASOWICZ, a præcognito, in Parente, honoris, & meritorum fastigio non aberrarunt. Populare quidem multis fortè videbitur nomen LVDOVICI; fateor & ego tale esse; qvia multo populo ILLVSTRISSIMI LVBOMIRSKI. S. R. I. Principis, Mareschalci Curiæ Regni Præpositus. Magna pro certò humanitas, hominibus se præesse scire; quos placidô magìs exemplô, quàm rigidâ disciplinæ violentiâ in venerationem flectere novit. Nunquam visus oculis LVDOVICVS noster fulminare, nunquam nubilum in fronte, semper serenus clementiæ radiabat meridies; lene supercilium, non arcum vindictæ intendebat, sed pacatam modestiæ iridem demonstrabat. Luget hucusq; tam bonum Gubernatorem, devota nomini illius militaris cohors; cui, immitis Ianuarij rabies, alijs primum aperiendo, huic vltimum vitæ diem clausit.

Filius Ill'9. Ludovicus, Capitan Legionis Illust: Lubomirij. Mareschalci in Ianuario obijt.

ADALBERTVS verò WASOWICZ, quasi ter albus, in MAIACHOVIANA Fascia, suum meliùs erga Patriam demonstavit candorem. Crede Sarmatia! aliter OLOREM hunc illaqveare non poteras, quàm stricto MAIACHOVIANæ teniæ nexu. Gloriosū illi, hæc ferre vincula; quæ amor Patriæ, non cuiuspiam dextera fabricavit. Habes ADALBERTE, quo hostem captives, aut quo saucius volnera obliges; pro quibus in hac tessera æternitatis numerabis annos. Labyrinthum ingredi videreris temeraria Penegyrici mei audacia; si secundi ADALBERTI WASOWICZ palmares passus, in extraneo exercitu metientis velles celebrare: unde potiùs prono cultu eius adores vestigia, quā innumeros frivolo ausu compendies triumphos. Ab hastis catafracti ADALBERTI ad gladium MICHAELIS descende ingenium; ad cuius aciem & aptari, & acui meliùs poteris; si petris, & sepulchrali marmori, in inscibendis, Magnis WASOWICIANÆ Domûs Nominibus acumen hebetâsti. Videre MICHAELEM si desideras? non in Gargano, sed in Martis Hæmo apparitionem illius contempleris necesse. Stativa illius hybernalia si inquiris? scias, quòd MICHAEL semper in prælio. *Assiduus castris, longisq; exercitus armis, strictis*

Adalbertus Wasowicz, Filius 2dus Ioannis Cataphractæ cohortis Illustris: Malachowski.

Adalbertus Wasowicz, in exercitu externo Filius Stanislai Vexilliferi.

Michael Wasowicz, Filius Laurē-

ctis quem fulgida telis, inter laurigeros aluerunt castra triumphos. (*Claud*) Ferri, ærisq; sonitu, aut Othomanicæ Lunæ eclypsim invehit, aut Tartaricos tenebriones, in Zodiacum Lechiæ insurgentes depellet. Sufficit Tibi pro encomio Invicte Heros, ipse dignitarius ILLUSTRISSIMI WARSZYCCII Ensis; nullus enim perennior character, quàm si acutô ferri stylô nostros subscribimus annos. Habes & pennas MICHAELIS in Tui protectionem extensas; habes ipsas militaris ordinis alas; quæ Te immortalitatis inarabunt fastis; habes devinctam Tuo Nomini GENTILITIAM WARSICCIORVM Literam; quæ hosti fatum, Tibi perenne vivat, nuntiat. Quid ultra memorem *Heroas, Martisq; nepotes, Terrarum Dominos; quorum clarissima virtus, Imperium Oceano, famam coniunxerat astris.* (*Statius.*)

tij Wasowicz sub signo cataphracta co. hortu Illustris: Warszycki Ensiferi Regni.

Iustina Wasowiczowna satis cessit.

Nec ipsos tantummodo Gradivos, etiam Bellonas ILLUSTRISSIMA WASOWICIORVM educavit Domus; quarum IVSTINA WASOWICZOWNA Magnifici Domini ROSKOWSKI thori socia, docuit: non solùm amorû, verùm & armorum visa corripi ipsi æstu. Inuicta Amason, quæ quamvis iustitiam coluit; in hoc tamen iniqua facta, quòd se immaturè fatis, lege communi adiudicauerit iuxta illud; *sua quemque facta vocant metamque pervenit ad ævi.* (Virg.

Rosa Wasowiczowna Sanctimonialis S. Dominici Cõventus Petricoviẽsis.

Hæc in sepulchro, altera latet in Vmbris modestiæ; præclarô tamen raræ virtutis radiô in apricum educta Orbis, ROSA WASOWICZOWNA per calcatum mundum ad fastigium elevata gloriæ; post salsas amaritudines mundi, DOMINICI gustavit suavitatem. Talem namque, in nitido huius Patriarchæ Zodiaco, expediebat oriri Cynosuram; quæ sicut noctem adamas, ita illa Religiosas vincit tenebras. Non immemor Filia Parentalis OLORIS dediti aquis, pro Caystrio, Flumine, Mare gratiarum (Scholas Pias intelligo) etiam in ipso, duræ petræ enatum supercilio quæsiverit; per quod ad æviternæ beatitudinis portum nauiganti, illustre, Sociorum IESV, sereno vultu abblanditur astrum. Nec dubium Te beatitudinis fore possestricem; album enim Dominicanæ vestis labarum, deditionem cæli suo Tibi designat candore. Ipsum cælum ultro suas ad Te extendit manus; hac rosâ, quantotius suos recreare desiderans nares. Quem enim adeò blanda Religiosæ modestiæ Tuæ non captivaret affabilitas? ut unam Te, e Charitibus, vel Musarum choro asserere sit necesse; vel ut sanctiùs proferam Cæciliam Te non Rosam fore, quæ Musicâ voluptate ipsius Numinis aures & animum demulces. Verbo dicam, quidquid attingere intendis, illud ipsum, priùs à Te tangi expostulat; quodve iam factum à Pallade, vel Arachne effigiatum credimus.

Musicâ & vario exercitio segmẽtaria Artiũ optime instructa.

dimus. Quoties fila pretiosis distinguis segmentis, exiles picturas gemmis, aut aurô varias; toties Semiramidis delitias, aut Zeuxidis pridem abolitam, plumatam sericô Avium reproducis scenam. Leget posteritas & CONSTANTIAM WASOWICZOWNAM non minori, alijs constare pretio; siquidem omne suæ pulchritudinis impendium, in Te unam Pandoram, larga munificentiæ divinæ dextera comportavit. Theatrum quoddam omni genæ pulchritudinis subingreditur; qui vultûs tui decorem curiosô oculô contemplatur. Extinguerentur aurei, cincinnati capitis puppæ Commetes; si in explicatam frontis Tuæ venirent serenitatem. Purpurascentium genarum punicô, roseique pudoris murice, aut albô niveæ cervicis ligustrô superate Nereides! victoriæ Tibi porrigunt palmam: satis sibi præstari felicitatis declarando, si in aspectum admissæ, lacteum faciei Tuæ contemplari mereantur lilietum.

Constantia Wasowiczowna, Filia Adami Wasowicz in tutela Magnifici Dni. Pocillatoris



CANDOR

Ex coniunctione tot *Illustrissimarum, & Celsissimarum* in Polonia Domorum aggregatus, Sensibus Physicis accommodatus.

EX PHYSICA.

I.

Materia prima, est pura Potentia; nullum Actum, etiam Entitatttvum includens.

II.

Actum Existentialem nullô modô potest habere Materia prima.

III.

Nulla Substantia creata, est immediatum Principium agendi.

IV.

Præter Concursum Simultaneum; datur Prævius.

V.

Non potest dari; nec datur ens Creatum Infinitum actû.

VI.

Duo Corpora possunt esse in eodem loco; non tamen unum in pluribus Circumscriptivè. VII.

Continuum, non ex solis Indivisibilibus; sed ex Partibus per Indivisibilia copulatis, componitur.

VIII.

Intensio, non fit per additionem Qualitatis ad Qualitatem, seu gradûs ad gradum. IX.

In quolibet Vivente, est vnica tantùm anima; & ideo Forma Corporeitatis non datur. X.

Omnis Intellectio creata, exceptâ Visione Beatificâ, producit verbum.

Qvamvis nullum aliud in encomiasticum calamum influxisset argumentum, vel exinde tamen Primam laudum Tuarum ILLUSTRIS & MAGNIFICE DOMINE sumpsissem Materiam; quòd non ita tardum mobile, pro perenni Domûs Vestræ Nomine in Avito geratis Stemmate; quin triumphalibus generosæ indolis Vniversum Orbem compleat rectefactis. Certè non iniuriè tam serenus titulorum fulgor OLORI Vestro appingitur; nam ad denigratos domestica uligine focos, desidioso nunquam iussus delitescere situ. Timeat quispiam temerarius Criticus, levi iudicio adeo inopem describere OLOREM Vestrum; ut nonnisi inter feras Volucres sua quærat domicilia. Habet ille tot Augusta Almarum Domorum triclinia; ubi caput suum reclinet: habet, quo amplissimas DOMûs suæ extendat Alas, in vastissimas PROSAPIARVM curules glorioso nisu evolando. Exesto ab hac DOMO, quem rudis abiectæ mentis indoles, ad umbratilem damnavit stoream! Illustres nisi parit animas Patriæ, siderum, lucisque Patria WĄSOWICIANA DOMVS.

Prazmowiorũ Domus Purpuris Senatorijs exornata, & Bellò clara.

In cuius meditullio, sanctior consistens Achilles, NICOLAVS PRAZMOWSKI ARCHIEPISCOPVS GNESNENSIS, pro Hasta, Episcopale assumpsit Pedum; Pontificalem huic DOMVI benedictionem daturus.

Præiuêre tot ILLVSTRISSIMI alij PRAZMOVIORVM Annibales, IOANNES PRAZMOWSKI PALATINUS PLOCENSIS, tum Vexillifer Curiæ; nec non tertius Frater, eorum, CAPITANEUS LOMZENSIS, ad summa fastigiorum culmina, callem OLORI Vestro Gentiltijs facturi SOLEIS. Et ne unquam lubricum fortunæ timeret, Soleis inconstantiam illius solidarunt.

Legit hucusque, & in sera leget Secula Victores per arenam Gradivi passus Lechia, legit imò expavescit Boristhenes, & Scythicus Thanais, ab Avito SOLEARUM PRAZMOVIANÆ Domûs Insigni,

ſigni, hoſtilibus campis impreſſos tractus; ne his gradiendo, ad fatalem vitæ deveniat terminum. Expalluit toties vix unquam ſimilem paſſa eclipſim Threicia Luna, quoties PRAZMOVIANAS SOLEAS, vel à ſole, derivato lumine clarere; vel æmulam ſui, in Soleis exprimentibus còácta eſt adorare Cynthiam. Terreum quidem hoc Inſigne, generoſam tamen OLORIS Veſtri non gravat celeritatem; quin vel in arenam bellantis Gradivi velociore ſubſilire non poſsit planta, vel in Purpuratos Senatoriæ dignitatis eluctari gradus. Quiſquis enim in his Gentilitijs Teſſeris ſplendorem conſideras; in arena Scholaſtica, vel in acie militari, expolitæ, longo ſplendeſcunt ab uſu; ſi rubiginem notas, hanc illis cruor inſperſit Barbarorum.

Non congelatus & in PODLODOWSCIORVM pectore, idem bellicæ virtutis ardor; vidit enim Sarmaticus Orbis, quomodo IOANNES PODLODOWSKI CASTELLANUS ZARNOVECENSIS, tum Frater eius IACOBVS CASTELLANUS RADOMECENSIS luctatus; tam in aurora vigilibus excitus curis, providendo integritati Patriæ; quàm in Oriente non Angelum lucis, ſed tenebrarum ſpiritum, à ſeptemtrionali plaga Patriam infeſtantem profligavit. IACOBVS hic, non ſolùm filium tonitrui, ſed & fabricatorem fulminum ſe demonſtravit; quæ, in Thracios, Geriones, non abſque ruina demittebat. Tonantem illum diutius adhuc ſpectâſſet Turcia; ni Iupiter Feretrius foret, in cineres, & favillas eandem redigendo. Vidit & Vkraina IOANNEM PODLODOWSKI CASTELLANUM ZARNOVECENSEM in ſuis deſertis, non tam diſertè quã dextere hoſtium edomantem catervas; *enſe ſuo factos calcabat victor acervos, & veluti denſas proſternens meſſor ariſtas*, barbarorum manipulos victorioſò ferrò defalcabat. Docuit Pocutiam non in ethymo tantùm, ſed in cinere pænitentiam agere: Orienti contritionem perſuaſit, cornua Odryſiæ Lunæ fortiter atterendo. Ex hac Domo Avia Tua ILLVSRIS & MAGNIFICE DOMINE, prodit PODLODOWSKA, unà cum BARBARA eiuſdem agnominis, primi Thori, Parentis Tui Conſorte, nullis non ſeculis Deæ, quas Sarmatici Poli Minervas, aut Pallades, Gẽtilitius teſtatur Vmbo; quem dum in Sereniſsimo Domûs Veſtræ Hemiſphærio monſtroſa Othomanicæ potentiæ contemplatur rabies; Perſei animoſitatem in PODLODOWSCIIS recrudeſcere experitur. Formidato enim clypeus Tytana laceſsit lumine, quem multa variarat Mulciber arte. Deſijt iam indagator Orbis importunam in DOMVM Veſtram retorquere quæſtionem, cur tam longa annorum ſerie, illæſum conſervetis candorem? poſtquam eum ſub obtentu PODLODOWSCIANI advertit Clypei, ab intenſo protectum ardore, & à telis bar-

Coniunctionẽ habent Waſowicij cũ iſtis Familijs.

Avia Illuſtris & Mag: Dñi Pocillatoris Podlodowſka.

Primi thori Conſors Illuſtris Magnifici Dñi. Parẽtis Tui Barbara Podlodowſka.

lis barbarorum, BARBARÆ PODLODOWSKA turritô munitum Claustrô. Dicerem ego si absque crimine læsæ Maiestatis dicere liceret, parum à vobis existimari candoris in vna OLORIS imagine; cuius maiorem quærendo auxesim, ZAŁVSCIANVM sine macula AGNVM, & FILIA VISOWACIORVM, ANNA VISOVATA Dapiferide Sochaczoviensi, in vnum DOMûs Vestræ compendium, arctô matrimonialis copulæ collegistis, & colligâstis vinculô. Iactet nunc propalatrix nugarum Antiquitas, superba Semiramidis viridaria, floridos Alcinoi Hortos; nullum ab hinc merebitur plausum, ubi DOMVS Vestra longè gloriosiori Mephora in Hesperidum decus, & Elisios translata campos; in quibus ZAŁVSCIANVS AGNus opulenta Admeti cōtemnens pascua, mavult, inter VISOWACIORVM DOMVI Vestræ inserta pasci Lilia; è quibus non minus candoris, quàm bonæ famæ sumpsistis odorē. Immortale OLORIS Vestri dubitare non licet Nomen; cui ZAŁVSKAM ZAŁVSCIORVM agit Agnus. procul ab eo Libitinæ retundendo ictum, sparteum suo vellere euolvet stamen. Quomodo enim ALES Vestra deficere poterit? quomodo inopiæ experiri calamitatem? licèt debilem, & nimium delicatam mollis testetur pluma, quando Gentilitia DOROTHEÆ SMIGIELSKA Doméstica NAVIS, cum Colchico Vellere Senatorias eidem advehit Purpuras, & sufficientem panem de longè portabit.

Mater Illustr: & Magnifici Dñi. Pocillatoris

Quàm bene Polonæ vellificatur gloriæ, legite! dum non vnius Cæsaris, sed totius Sarmatiæ in DOMUM hanc invexit fortunam. Concurrit ad amphitheatrū WĄSOWICIANÆ DOMûs, Antiquissima KORYCINSCIOVM cum KRZETOWSCIIS FASCIA, ampliorem ad Honoris Templum ingressum paratura. Fatis succumbere minimè hæc pertimescat DOMûs, pro qua decertans Ascia, ictui fatorum vibrantiorem fulmineô telô opponet aciem. Hæc, cruentis, & honorarijs Romanorum Securibus DOMUM Vestram anteponet; hæc quamuis ferrea, aureum tamen Seculum feret; non suæ, sed Vestræ fortunæ fabrum aget, ideo, *nil miror Ausonios Fasces, Latiasue Secures, Ascia Sarmatiam pulchriùs ista tegit.* Cadet in victimam honori Vestro, consecrata, huius Asciæ ab ictu hostilis Lernæ immanitas; in hac Securi, & Ascia deijcietis eam. Cædit grandioris ceruicis TAVROS, BRZESCIORVM COSCVLVS, quo maiores herbida iuvencos non habet Epyrus, Vestrique Nominis famam, per auram suis cornibus ventilabit. Lapsum enixa fortunæ Vestræ, non metuat sublimitas, Gentilitium enim hoc Pecus, cornibus in altum eriget, ab omniq; tuebitur periculo. Taurus iste, cum Iove per Vniversum Orbem WĄSOWICIANÆ DOMûs gloriam, ut Europam circumferet. Immanis Othomanicæ Lu-

Cum Coricinsciis Krzetowiis

Brzesciis.

cæ Lunæ Perillus, suô damnô docuit hunc non semel mugire Iu-
vencum. Dignum quippe fuit tali sustentaculô Domûs vestæ De-
cus; quod, inter reliquos Familiarum titulos tantum eminet, *quan-
tum solent iter viburna cupressi*; aut inter Vrbes Roma minores,
quod Gentilitium STAMIROWSCIANÆ Familiæ testatur Ca- *Stamirowscijs.*
put: ut illud in corpore, sic Vos in Patria eminetis. Victimarum
olim coronata incedebant capita, & hoc, non aliud Vestris Succes-
soribus, nisì Coronas, & Infulas portendit.

Mensuret & hinc prudentiam OLORIS mundus, quanta sit; dum
consiliorum domicilium, Caput Domi suæ residere fecit. Nemo
dubitet WĄSOWICIORVM DOMUM in Capitolium assurrecturam
gloriæ; si iam Caput STAMIROWSCIORVM, in fundamenta-
positum veneratur.

Videat, ne quis adeo pumillam virtutem WĄSOWICIO-
RVM dicere præsumat; ut altiùs non possit assurgere, nisì ad sta- *Taszyccijs.*
pedem TASZYCIANÆ magnitudinis; imo Vniverso Orbe ma-
iorem existimet, qui dum rotundâ suâ sphærâ triangulum istud ex-
plere non poterat, probè gestorum exæquauerit immensitate-.
Stapedem illa non novit alium, quàm lunatas Barbarorum cervi-
ces; per quas celsa honoris pegmata scandit. Hic sursum obver- *Lasoccijs.*
sa LASOCIORVM SOLEA, promptissimam se ad Vestra declara-
vit obsequia; seu callem ad summa signare culmina, seu hostium
calcare crystas. Felices, palmares ubique estis habituri progressus;
ubi tantùm hæc Solea, fixerit vestigia: tali namque est exornata
signo; in quo vincatis hostem. Scribit ad Senatorias Curules, ad
purpuris vestitos ascensus Gentilitia SAGITTA, in hac Solea, solida
vobis privilegia; aut triumphalem in sublime volaturo OLORI
ostendit areum. At nec DVMANIEWSCIORVM PLANTA, ad *Dumaniewscijs.*
complementum gloriæ Vestræ tardare poterat; quam Binæ CRU-
CIS excitarunt stimuli; vel in CRUCEM prostrata facie Vestram-
adoraret DOMUM; quam de numero Signatorum adeo sancto de-
scendisse passu, hæ testantur CRUCES: quasi nec vestigium sine Cru- *Kochanowijs.*
ce movere videatur. Id ipsum sole adustus KOCHANOVIO-
RVM testatur Corvus, per inspersum pennis atrorem, quàm pro-
pe cælo sit admota OLORUM sublimitas. Nec tamen ob tantam
celsitudinem, Icariæ sonitum ruinæ DOMûs Vestra expavescit; bi-
nô OLORIS & KOCHANOVIORVM CORVI fortiter innixa ad-
miniculô. Tristia equidem CORVUS depromit omina; sed hosti-
bus tantùm, vobis verò læta canit secula. Ostendit namq; in æmu-
lo æternitatis annulo Orbem Vniversum WĄSOWICIANO obli-
gatum Nomini; captivatas hac compede civium mentes, non dis-
solutam nobilem libertatem; cuius sphæræ centrum, ipsa gloria.

Occaſum nunquam Domûs Veſtra experietur; quia in occiduum
Tarnovſci-ii. ei mane, TARNOVIORVM cum Luna teſtatur AVRORA. Sudum fortunæ habituri Cælum; ubi hæc Avrora, ſanguinis coniunctione erubuerit. Gratum in hoc Planeta deſigere ſtylum, ſomnū fugit lucubratio; quæ inde radium in ſe traxit. Stabilem poſteritati Veſtræ ſortem appromittit cælum; quamvis hunc Planetam Veſtræ Domûs, intulit Zodiaco; qui ingenium mutabile gerit. Docemur inde, quòd tanto comitatu Virtutem Veſtram debeant ſequi honores; quanto, Lunam ſtellæ comitantur ordine. Timuit fortè cælum, ne virtus Veſtra in abdito latuiſſet, quam umbrâ alarum protegit Olor; ideo Aſtrum TARNOVIANÆ ſubmiſit Domûs; ut illam, Orbi, publica luce demonſtrâſſet. Inimicum hoc ſydus in Domo Veſtra degens, ſuppono, exiſtimaret fortuna; quippe cæcum Numen magìs tenebras, quàm noctis oculum diligit;
Moſinſcijs. ſed dabit huic ludibundæ Deæ MOSINSCIORVM ZABAWA ethymologicam Nominis occupationem. Occurret in via
Grotowijs. & Gawrōſciji. fugienti Deæ, Vrſo inſidens GROTORVM GAWRONSCIORVM Gentilitia Virgo, manibusque expanſis ferum illius demulcebit genium. Fortior Amazon, ſublatis in æthera palmis, cælorum vobis intendit acclinare faſtigia. Demonſtrat fortè, quàm ſublimis Vos expectat honor; ad quem ituris manibus plauſum excitare conatur. Et Gentilitia MARIANNÆ BRANICKA Decora, fortunam in Domum Veſtram impellunt; nec priùs Veſtro militare ceſſabunt honori, quàm rebellantes hoſtium animas, Veſtris ſubijcient pedibus. Subintrant adhuc Domûs WASOWICIANÆ limina ſuis Nominibꝰ celebres Antenatorū Imagines LESIOWSCIORVM, DOMSCIORVM, SOBANSCIORVM, RZECZYCCIORVM, & plures alij Avito cognationis colligati nexu; quos longiori ſyllabo narrare impoſsibilè, ſolùm profundô venerari expedit ſi-
Brzezinſci-ij & Morochowijs. lentiô. Satìs namq; diſertè WASOWICIORVM Domum, BRZEZINSCIORVM, MOROCHOVIORVM declamant Tubæ, ac præter tenuem calami ſtridorem, multorū linguas in præconia Illuſtriſsimæ excitant Proſapiæ. Ad quarum Martios clangores, quàm pronus, & vigil fuerit IOANNES MOROCHOWSKI, vel inde conſtat; quòd ei, pro more fuerit, primò inire pugnam, poſtremò ponere Martem; uſq; adeò, ut nisì eum à tuba Martia, & Gentilitio Inſigni ad tumbam pepuliſſet fatum; Mars ipſe ſub vexillo militantis IOANNIS libens Tyronem egiſſet. Et Tibi hoc idem adſcribi mandat generoſa Tua indoles GEORGII MOROCHOWSKI, qui attonitum, feciſti Hebrum, & bellicoſum Sirymona, vindice turbâſti haſtâ. Tibi enim ars bellandi in uſum, uſus armorum tranſijt in habitum. Vivere ſine ſago mors eſt, non vita MOROCHOVIO;

cujus

cujus militia, Vita est super terram, Rogum Te non GEORGIVM in Anagrammatica nominis transversione demonstras hosti; qui ita totus virtute decorus exstas, & meritis illustris; vt noctivagam extinguas Lunam. Ipse Moschoviticus Draco, aut septiceps Turcarum Hydra, domitorem Te monstrorum testantur GEORGIVM.

Nec MARTINVS MOROCHOWSKI, sine lauru victoriosa, sua perageret tēpora; nisì ei immaturo Heroi funestam mors porrexisset Cupressum. Verbo dicam: quemcunq; tantùm hac de Stirpe Virum requiras, certum est: *de Consule nasci, hîc per fasces numerantur avi.* (*Claud:*) Ex tantæ Domûs Augustali prodijsse Pandoram quis non affirmavit ANNAM MOROCHOWSKA? unica illa omnium Heroinarum meruit gloriam; dum sola, Virtutes omniū in se compendiaverit. Illa suo Mausolo Semiramis, Lucretia Callatino, Sempronio Cornelia, Gisella Stephano, Blanha Ludovico, Heduigis Henrico, illa capitis corona Pudici, complementum virtutum, gratiarum domicilium. Hæc Dianā pudore, puritate Penelopen, constantiâ Aspasiam, Pentesileam animi fortitudine superavit. Dianæ huic, succedit non dispar HELENA HEDVIGIS MOROCHOWSKA; quæ cujusvis judiciò Paridis, aureum Poloniæ merebatur pomum; nisì magìs OLORIS TUI ILLUSTRIS, & MAGNIFICE DOMINE POCILLATOR, candore delectaretur, quàm corusco micantis auri fulgore.
Consors Illus. & Magnifici D. Pocillat.
Absit hoc à nobis ingratæ mentis probrum; ut alibi rotundas laudum Vestrarum figamus periodos; quàm in Te veluti in centro Majorum Tuorum. Dimicant secum commata, & literarum apices mutua certant collisione; qui priùs Tuæ militaret gloriæ. At quæ penna celeritatem perspicacis ingenij Tui assequetur? quam instar fulguris, omnia penetrat, discutit universa. Habet hîc, quod discat levis aliquomodo calamus: nempe gravitatem Iunonis, pudorem Vestæ, elegantiam Cypridis, constantiam Liviæ, & si vult connexam Virtutum Civilium coronam, invisa dotum Tuarum laudare prodigia: solâ hæc celebret admiratione.
Bonis multis animi dotata.
Tuam imaginem si quis Phidias marmori sculpere, aut pretioso Apelles adamanti pingere allaboret; pingat in fronte Majestatem, in supercilijs clementiæ arcum cum amænitate, in oculis gratias, in genis suavitatem, in ore hilaritatem, in vultu illicia, in labijs affabilitatem, in corde candorem OLORIS, in sinu pietatem, in manu liberalitatem, in gestu gravitatem, in verbis facilitatem, in voce lenitatem, in tota corporis Symmetria mansuetam compositionem.
Filij & Filia mortui.

Et quia etiam Causa prima non agit absq; Causis secundis; ideo Tu ILLUSTRIS, & MAGNIFICE DOMINE, Sociam hanc matrimoniali vinculo adscivisti ad Domus Tuæ regimen; à qua Latona, non descenderunt nisi Apollines, Castore, à Leda, Achilles à Thetyde,

SAMVEL, MATHIAS, ANTONIVS, IVSTINA, ALEXANDRA; & ANNA lectissima Proles; pro quibus posthuma gratias Tibi egisset ætas, si in meliorem incidissent indolem; quàm in invidã humanæ vitæ morté. Sævijt in nostræ Niobe viscera, quia in Filios, & Filias, hæc inimica Latona; SAMVE-LEM, futurũ Parentẽ lætitiæ, & solatij Patriæ, in filium mæroris transformavit. MATHIÆ in manibus fati sinistro sors cecidit jactu; ubi mortis necessitate succubuit. Avidior Cleopatra, unionem in Antonio sperabat se bibituram; ideo pretiosum, vitæ eidem abligurivit tempus.

Floruisset suo diutius lilio Narcissus iste, Iuvenilis ætatis; nisì mors carens oculis, acuta falce tenerrimum succidisset flosculum. Legis mors ignara, IVSTINAM iniquo pede ad sepulchri damnavit umbras, ALEXANDRAMq; suis implicavit casibus; ferrum Macedonis in ejus non timuit Nomine, imo Nomen ipsum ALEXANDRÆ non solùm mutavit sed & de vivis sustulit. ANNA quoq; ab hoc crudeli disgratiata monstro; dum pro gratioso Nomine, immitem, & parcere nesciam invenit Parcam. Arguta Philosophatrix mors, argumentum, quod his omnibus proposuit, aliter illud solvere non poterant; nisì in cinerem resoluti, non priusq; oppugnare illos desijt, donec animam è corpore expugnâsset. Demonstrationem optimè docuit, cùm ad sepulchrum eos deduxerit. Conclusiones alias nescivit; nisì urnæ includere. Illationem tunc aptissimam posuit; quando ad feretrum, busta detulit. Argumentum in nulla figura, nisì in Festino, tempestivè florem Iuventæ decoquendo; nec in alia Forma, quàm in cadaverica posuit. Continuum, satìs eruditè ostendit; dum à finito vitæ tempore, ad infinitum, æternæ durationis rapuit animas. Crudum alibi in Physicis facilem ostendit geniũ, quando tot Corruptiones, Generationes fecit subsequi. Videlicet EVAM, futuram Matrem uiventiũ Heroum, qui extra Paradisum gloriam operabuntur, meritis florebunt, triũphos in cãpo Martis colligent. Habebit hæc Danais Ioves, Daphne Apollines, Lucretia Tarquinios, meliores Nerone Poppea Cæsares, Livia Põpeios, habebit Athalanta Hypomenẽ, æmulos affectus invicta Amazon. Testatur id diducta ad pectus THERESSIÆ SAGITTA, quòd utriusq; pulchritudo, digna sit *pro qua Mars Cypeo, Phœbus præstantior arcu certet; digna, cui Mars donet Rhodopen, Phœbus largiatur Amyclas, & Dolon clariosq; lares.* Quid enim non persuadebit? imò quid non imperabit hujus Proserpinæ venustas? uicũ solatiũ, ac dulce decus Patris; quẽ Theseum amoris irretitũ nexibus, hujus Ariadnæ ad se non attrahet elegantia? *quæ, non venit in veras nonnisi forma Deas.* Hanc si nôsset Hercules; non quæsivisset Heben, Vlysses Penelopen, Æneas Laviniã; Mausolus Arthemisiam non ambivisset O tanta Domus WASOVICIANÆ Decora! *qui Vos genuere beati, & mater felix, & fortuna profectò si qua Vobis soror est.*

Eva & Teressia Filiæ viventes, magnæ spei formæ elegantiæ, & prudẽtia supra ætatem Plena.

CAN-

CANDOR
in Patriam,
Illustris, & Magnifici Domini MAXIMILIANI de Smogorzow WĄSOWICZ,
Pocillatoris Inovratislaviensis, realitate, multorum aliorum in Rem-publicam merita transcendente, demonstratus.

EX METAPHYSICA.

I.

ENs, est Analogum respectu suorum Inferiorum.

II.

DIstinctio Formalis ex natura rei non datur.

III.

Dantur Præcisiones Objectivæ.

IV.

Principium Individuationis corporeæ, est Materia signata Quantitate.

V.

Duo Accidentia solô Numerô diversa, non possunt esse simul in eodem subjecto.

VI.

Scientia Totalis, est unus Habitus, simplex in ordine ad omnia Objecta; ad quæ se extendit.

VII.

Subsistentia, & Existentia in creatis, distingvuntur realiter ab Essentia.

VIII.

Subsistentia ab Existentia distinguitur realiter.

IX.

Non dantur Subsistentiæ, & Existentiæ partiales.

X.

Intellectus Divinus non facit Entia Rationis.

POst emensa laudum Majorum Tuorum Olympia, post explanatas difficultatum Philosophicarum salebras, post tortuosos Scientiarum anfractus, post enavigatas fallentis Euryppi Syrtes, post erraticas argumentorum ambages, in TE metam gloriæ, Cursûs Còronam, præmium laboris, augustanæ quietis portum,

Meta labo-ris Illu: & Magn: D. Pocillator.

tum, laurum victoriæ, umbram gratiæ, rectitudinem mentis, candorem animi invenio; qui, nisi in Rectum, Verum, & Bonum innato appetitu, naturaliter ferri assvevisti, ILLUSTRIS, & MAGNIFICE DOMINE. Nullibi meliùs Metaphysica Subsistentia, & Existentia, suas potuit firmare colonias; quàm in Te, qui proprijs meritis, per Te gloriosè subsistere nôsti, nullam adscititiæ virtutis aliunde emendicando augem. Ens Analogū appellare Te possem; si quas, superiores Te, vel inferiores, Majorū haberes Geneses. Rectiùs dicam, extra omnes Causas, primum Te cujusvis virtutis, omnigenæ dexteritatis Principium, à quo, omnis decor, & gloria in Avitum defluxit OLOREM, Solius Individuationis nullum in Te apparet Principium: Nam *quæ divisa beatos efficiunt, Tu collecta tenes.* Probet quispiam Præcisiones dari in gradibus Metaphysicis, Tui solius exemplô, falsæ dicentur; qui nec ungue à Majorum Tuorum recesisti dexteritate, semper unitâ ijsdem adhærendo virtute. Torpent alij ignaviæ situ, inter paternarum ædium latibula, longam annorum absumentes seriem; Tu verò vix pedibus hærere cœpisti, illicò tales formabas gradus; ex quibus patuit, ad maxima, Te fuisse Candidatum. Cunas statim nascenti Tibi Pallas, cum tribus stravit Charitibus, doctos Musarum commendando choros: quibus Tu, à puerili prætexta ita Avitum assuefecisti CYGNUM, ut nec Scientificos Aristotelici Organi sonos abnuere videatur. Si fabulam, vitam nostram docuit esse Plato; Tu taliter illius ingressus es Proscenium; ut ubi alij vix in Scena exhibent magnanimitatem; Tu in actu demonstrâsti. Omnes vitæ, horas, nisi stillantibus de fronte guttis, aut literario pulvere metiebaris. Modicam satis gaudij lucem in Te experta Lucina; vix enim in Gentilitijs exorsus fueras cunis, ociùs Te Minerva præripuit, Rauensi Scholarum Atheneo, florem iuventutis Tuæ consecrando. Plaudebant literariæ Classes, exultabant Magistri, talē Te in Erudito Orbe surrexisse Discipulum; cui prima literarum elementa, âére leviora, aquis magìs perspicua videbantur. Lapidescere cogebantur Ravenses Camenæ, Tuam admiratæ prudentiam. Nutabat Bicollis Parnassus quasi in capacitatem suam, summô MAXIMILIANI ingeniô redarguendo. Profanum Musæ Arbitrabantur Iovis cerebrum; ideo deserto illius habitaculo, Tui capitis libentiùs incolunt domicilium. Suavior illis eruditus verborum in ore Tuo susurrus; quàm inutile Heliconis videbatur murmur. Emendâsti inurbanitatem Pyrrhi, qui liberas Artium Deas augusto unius annuli compilavit ergastulo. Tu libertatis Polonæ Assertor, spatiosum mentis Tuæ augustal ijsdem concesisti. Iras Tibi & ruborem genarum Gentilitiæ accēdissent Ceræ; si quando inten-

A teneris annis magnā spē de se formaverat.

In Scholis Ravensibus studuit.

intensiori æmulationis studio fervere desijsses; sterilis quantumvis Parnassi rupes, revirescebat tamē quādo rosas, & lilia, eruditior Hortensiô floridi sermonis ab ore depromebas; quos tandem Puteanus Fontibus eloquentiæ irrigavit. Quoties enim ligatæ orationis vincula, aut aureas ornatæ dictionis phaleras audientium imponebas animis, illuc gradiebantur; quo illos, disertior oris Tui ducebat svada. Iactet suum Aristoteles profundum, Scotus sublime, Aquinas inaccessum, Tacitus obscurum, Homerus compressum Arpinas reconditum; nihil in Aristotele adeo immensum, quod non transfretares, nihil in Scoto altum, quod non transcenderes. nihil in Tacito abstrusum, quod ingenij Tui non enucleares facilitate. Tullium redivivum audire videmur, quando Te concinno verborum contextu animos audientium captivare, corda in affectus rapere contemplamur. Familiare enim Tui sermonis colloquium, quidquid in medium affert, gemmas profundit: quibus non aures solùm arrectas porrigit mundus, verùm manus inhiantes extendit; illarum pugillari nucleo comprehendens pretium; aut custodienda dimidiata verborum fragmenta committit chartæ. Te loquente, effusa in verba Tusculani Rhetoris facundia tacet; condita suavi verborum illicito Platonis amarescit dulcedo; dura, &si molliter instillata in Cynea linguæ gratia; levius aurâ in Demosthene fulmen, tenuius umbrâ in Socrate tonitru censetur: quando Tu verborum pondere, sensuum gravitate tonare incipis. In ore Tuo Oratoria svavitas, Historica veritas, Pòetica gratia, nectar, & Hyblæa svavitas compendiatur. Lenes, eruditi sensûs Tui captantes Zephyros, avidi Chamaleontes, illam animi induunt speciem; quam eis erga Patriam Tuus imprimit candor. Quem adeo ingratæ mentis partum malevola produceret natura; qui humanitatem Tuam non adoraret, maturam in agendo non miraretur prudentiam, seriam in judicando non consideraret discussionē: nullus est, quem summâ animi non captiuares lenitate, modestâ non devinceres gravitate grata non emollires affabilitate. Te videre, non est aliud nisi ingenij perspicaciam, morum normam, amorem boni publici, ardentem Religionis zelum, fidelitatem in Patriam, candorem in Reges, & dexteritatem in bene agendo. Hâc manuductrice Sapientiâ venisti ad Aulam Illvstrissimi LVBOMIRSKI S. R. I. Principis Mareschalci Curiæ Regni, maximū perennaturæ gloriæ theatrum, in quo patuit juventutis Tuæ prologus; quem non sine intermedia Domûs Tuæ hilaritate exhibuisti.

Eruditione multa & eloquio clarus.

Nec mirum, non vulgare enim MAXIMILIANI Nomen; sed pridem aulis, & Cæsarum coronis insertum, hîc etiam condignum sibi invenit receptaculum. Et quamvis à communi abscondita sensu

Ad aulam Illust: Lubomirski Mareschal.

ci Curia Regni Cubicularii Secretario & Amanuensis longo tempore fuit.

sensu tanti Principis involuerent Te negotiorum arcana; gloriosum tamen Nomen Tuum, publica Vniverso Orbi revelabat fama. Publicam quippe lucem amant, qui illustrem ortum habuêre; & intra sola teneri cubicula piaculum putant, ubi ORBI integro innotescere possunt. Quis enarrabit gloriam Tuam? quæ lingua edisseret? quantum Illustrissimo Principi arrisit vivax ingenii Tui activitas? ideoq; vivum hoc argentum suo calamo applicandum amoris liquabat igne; quo sensus, & abdita mentis suæ describeret. Ipsi literarum carbones, quos Tu in chartam spargebas, ignem spirare videbantur: quia claro virtutis, ac sapientiæ lumine, ab Illustrissimo Sarmatici poli illuminabantur Planeta. Tuæ pennæ visceribus, veluti aureæ clavi, pretiosum inaccessibilis ingenii thesaurum commisit ILLUSTRISSIMUS PRINCEPS: *Tu penna Pyrrhi, tu manus Herculis secunda nostri, carus Ephestio magni Alexandri, Polono tu Socius Mucianus armis Vespasiano.* (Bened. Pridem iam tanquam in speculo ILLUSTRISSIMI SZRZENIAVÆ diaphano candorem Tuum erga se cognovit Patria; dum ita limpidos huius Thrasimenis possedisti fontes; ut nullam turbidi procellam, nisi in hostium volvant perniciem. Salubriorem potum OLORI Tuo dare non poteras, quàm de hoc fonte; ex quo, non minor, ac si de sacro salus Patriæ, & lumen æviternæ gloriæ exoritur. *Fons sacer, & multi Numen habere putant.* Nec credo, quòd meliùs Veneti Helespontum aureô annulô, aut Xerxes arctiori vinculô constrinxerint; quàm Tu Illustrissimum hunc demeruisti Nilum, commoda Patriæ, DOMUI verò Vestræ summum decus, & fortunas provehentem. *Omnibus æque servit, & humanos totum se præbet in usus.* Quodsi fabulantur Pöétæ amorem ex aquis nasci, hanc Tu, eidem consecras Flumini reverentiam; Avitum OLOREM, non minùs officiosô demergis obsequiö acsi natus virtutis, & Originis Tuæ Eridano Principi fluviorum. Pretiosiorem Te, non vidit vnionem; qvem ideo in intimo sui vorticis condidit latifundio. Credite, quôd largifluum hoc inexhaustæ munificentiæ mare, nullius supremæ libentiùs, quàm Vestri OLORIS laudes suas decantantis audiat modulamina: Qui encomiorum concentus, non secus, ac solares radij in Vestrã quoq; refringuntur apotheosim, minimũ Illustris. SRZENIAVÆ, hac in parte detrahentes honori: cùm nec socium, fugiat in laude Princeps, nec Theseus deturpet Alcidam, ex eodem, *si gemini s fluit amne fama.* Non Tibi Siculæ dapes, non avium citharæq; cantus, non Peligni OLORIS plumæ scilicet tristes Ovidij elegiæ, ita placidum conciliabant somnum; quàm Illustrissimus Sarmatiæ Apollo, patriâ per Orbem Vniversum suaviter resonans Musâ; cujus eruditô calamô profusa gravium sensuum oracula, plena admiratio-

Assiduus Scriptor & Lector in transvolvendis dogmatibus Illustriss: Mareschalci Regni.

rationis dogmata, acsi gemmas cum Antonio, aut liquatum cum Heliogabalo auri metallum ore absumpsisses; nisi dolore victus, tam pretiosô privari Te nolles obsoniô; quo, in dies, & momenta Tuam pasceres mentem. Hinc jam tam bene pasta his bellarijs Iuventus Tua, in Aulis Principum adulta virilitas, hos Tibi cum OLORE Tuo induxit canos, simul aux[illegible] & reverentiam; cùm æstates medias, alijs ibi vix vivere licuit, Tibi integras pene ætates egisse concessum fuit. Vnde è Ganimede, in Pocillatoris munus, præpes Te vibravit Aquila. Aptiorem enim Te, vidit fulminum ministra Ales, populis, ferrô domãdis; quàm poculis dirigendis; qui non tam à vino, quàm à vincendo, Tuam metiri assuevisti gloriam. Non tam masicum vite, quàm vitâ hostibus ereptâ, salutem Patriæ propinando. Hucusq; edormire non potest crapulam helluo sanguinum Mars, tam bene eum è succiso hostium jugulô, manante tabo ingurgitâsti. Demus, quòd modò jam fessa laboribus ætas, gravi maturioris vitæ pressa centipondio, Martio Te subtrahat certamini; tàmen inter domesticos parietes sine laurea non hospitaris. Etiam nunc aspera Gradivi arena, triumphales Tibi producit verbenas; quas, nata bellis lectissimi STANISLAI WASOWICZ Filij Tui indoles, Paternis imponit têporib⁹. Et verò priusquam bellis, & Gradivo hæc Proles daretur, libellis occupari voluit; antequam victricem palmam ex hoste referre condisceret, priùs in Palæstra Scholarum Nostrarum dimicare, in Ressoviensi Parnasso, laureas, & doctarum præmia frontium connectere sciat. Nemo est, qui generosam Ascanij hujus in agendo non stupeat dexteritatem, in procedendo maturam gravitatem; de quo Poëta: *Pulcher Iulus ante annos, animumq; gerens, curamq; senilem.* Inspice augustam hujus Iuvenis majestatem; si quis in primo pueritiæ Aprili illius vis scire, qualem ulterioris vitæ autumnus proferret fructum; meus non vanus augur, hoc ei ominatur affectus? Quod erit tale tempus, quando ei lunatas Gangetica pubes submittet cervices: *vacuasq; ostendent Bactra pharetras, Sarmaticis Victor compescet sedibus Istrum; quin & Romuleos superabit voce nepotes.* (Si ius.) Gratularer Vobis tantam Indolem Ressovienses Pieridum Chori, tantum Achillem, quem Illustrissima Thetys nobis Chironibus commendavit; nisi scirem, quòd Hercules sit, non sinistrâ Iunone natus, ad monstra tantùm edomanda. Nec indiget hic Alexander Aristotele, Traianus Plinio, Arcadius Arsenio; sponte sua, magna indoles ad egregia se provocat peragenda facinora. Ex ipso nominis syllabo legendum est, quòd nullum instans STANISLAO sine laude effluat, omnem ignavæ mentis desidiam, procul à se eruditiori expunxit calamo. Non verebatur quondam STANISLAI animus Serenissimis se objicere solibus; at nec hîc ad Cleantis lucernam suum timet de-

Solatium Illustrŭ & Magnifici Domini Filir.

Magnæ spei Iuvenes.

In studio plurimos excedit ingenij celeritate.

nigrare candorem. Latere non poteſt inter Atticas noctes, & eminentiores Parnaſſei Collis umbras, cujus, ſi vel digitū. Indigetis aqua extinguere non poterat, quid hæ tantam ingenij illius claritatem. Fulgurat Ille acutâ ingenij acie, non uniusq; Tyreſiæ æmulā ſuo fulgore everberat pupillam. Gaudent plurimum Heliconis aquæ, exultat & ipſe Illuſtriſsimus Collegij Noſtri Reſſovienſis SRZENIAWA; quod ex eo in lucem publicam STANISLAVS magnus extra Romam eſſurgat Lucius. Penſet Illuſtriſsimus hic LVBOMIRIORVM Rubicon; perpendant Muſarum Sacraria, quàm devotus LVBOMIRIIS, quàm devotus Scholarum Piarum ſis Cultor ILLUSTRIS, & MAGNIFICE DOMINE, dum eis, non beneficia tantùm, ſed magnam etiam Sanguinis portionem, imò dimidium animæ, in Filio conſecrâſti. Et jam vidiſti ſatis Sarmatice Orbis, quòd non tantùm Auſonius Mars, ad galeam appenſis pennis, ſua ab OLORE deſumat ornamenta; etiam Sarmatiæ id magnum decus, ubi à CYGNEO hoc nido, magnos fluctuanti Reipublicæ Navarchos, prudentiſsimos Senatores, ſapientiſsimos Præſules, ſtrenuos bellatores, juſtiſsimos Iudices, Regni decora, feliciſsimô obtinuit ſuffragio ad perennem gloriam Candidatos. Hinc Tibi Majorum Tuorum nullatenus Minimo ILLVSTRIS, & MAGNIFICE POCILLATOR, in vim candoris mei hoc Pòëtæ præſento omen.

In ſublime ſuas Tuus ALAS explicet ALES,
Ille Tuum Nomen, vel ſuper aſtra ferat.

